



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Index Concionum, Seu Thematum Applicatorum Pro Omnibus, Ac Singulis
Totius Anni Diebus Dominicis, Ac Festis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

INDEX
CONCIONUM,

SEU

THEMATUM
APPLICATORUM

PRO

OMNIBUS, AC SINGULIS
TOTIUS ANNI

DIEBUS DOMINICIS,

AC

FESTIS.



PRÆFATIUNCULA.

Consultò hunc Indicem latinè damus, quoniam solis Litteratis, iisque Divini Verbi Præconibus, per eum commodare volumus. Videbit Lector benevolus, Discursuum divisiones à nobis factas in Conciones duas, aut subinde tres. Si brevior æquò videatur materia, facili negotio è sequentibus Rerum, & Historiarum Indicibus eam supplebis. Quòd si cuiquam nostra Concionum distributio minùs placuerit, ipse planiorem ex Elencho universalis pro genio suo sumere poterit. In fine Concionum de Festis adjecimus Indiculum brevem pro diversis temporibus, ut publicarum calamitatum, & Quadragesimæ, ubi eandem materiam continuare placet; item materias quorumvis cujusque loci Patronorum Festis applicandas. Porro numerus primus, puta, Romanus, Mensem, seu Tomulum denotat, alter Discursum, tertius paginam, & quartus, in divisionibus adhibitus, partitionem Discursus lateralem. Utere, boni consule, vale.

DOMI.



DOMINICA I. ADVENTUS.

1.

Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. 21.

Appropinquat Redemptionis nostræ mysterium: nasciturus est salvator: ad ejus Adventum præparat se Ecclesia. Ut dignè Christum excipiamus, necessarium est, Fidei nostræ Veritates frequenter considerare.
Mense I. Disc. 1. pag. 1.

2.

Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Luc. 21.

Omnes omnino videbunt divinum judicem; impii quidem cum horrore, justii autem cum consolatione. *Mense III. Disc. 72. pag. 236. usque ad num. 6.*

3.

Videbunt filium hominis. Luc. 21.

Qui timet Judicis maiestatem in extremo illo

d 2

judi-

judicio coram universo orbe, sollicitè se præparet ad iudicium particulare, quod solus subibit in morte. *Mense III. Disc. 71. pag. 218. usque ad num. 11.*

4.

Virtutes cælorum movebuntur. Luc. 21.

Erit tremenda dies illa, qua videbimus omnes filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. *Quantus tremor est futurus, quando Iudex est venturus, cum vix justus sit securus? Et meritò; nam dicit ipse: Ego justitias iudicabo.* Paremus igitur nos ad tremendum illum Judicis adventum, fugiendo etiam minima peccata, ideo maximè, quia venialia frequentata facilè nos inducunt in erroneas opiniones, & in graves tentationes. *Mense IV. Disc. 107. pag. 273. usque ad num. 9.*

5.

Appropinquat redemptio vestra. Luc. 21.

Non appropinquat nobis redemptionis fructus, nisi seriam de peccatis egerimus pœnitentiam. Necessaria est ad hanc delictorum confessio: quæ si cuiquam difficilis videatur, vincet difficultatem considerando, quantæ illa sit efficacix. *Mense III. Disc. 84. pag. 491. ad num. 6.*

DOMINICA II. ADVENTUS.

I.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, Matth. 11.

Ut

Ut nos à præparanda via Domini absterreat, varia malus Angelus impedimenta objicit, verùm illa bona Angelo duce facilè superabimus & perfringemus. *Mense I. Disc. 2. pag. 16.*

2.

Mortui resurgunt. Matth. 11.

In extremo illo iudicio resurgent omnes: iusti verò, quos mundus velut mortuos contempserit, quique mortificatione sensuum mortem Christi imitari studuerunt, præcipuè in illa resurrectione gaudebunt, quia plena & integra tunc fiet illorum felicitas. *Mense III. Disc. 72. pag. 244. à num. 6. usque ad num. 11.*

3.

Cæci vident. Matth. 11.

Qui in vita semetipsos non cognoverunt, aliosque nihili aestimârunt, sua solùm magni facientes, tunc videbunt miram commutationem prioris statûs. *Mense III. Disc. 73. pag. 270. à num. 7. ad fin.*

4.

Præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

Si verè diligimus Domini adventum, oportet, ut studiosissimè viam illi præparemus vel minima offendicula removendo, ne forte offendant ad lapidem pedem suum, & nobis indignentur. Vult viam sibi parari ab Angelo, id est, corde mundo à minimis maculis. Gravissimè igitur errant, qui venialia peccata non horrent, cum ex his facilè inducamur ad labendum in

mortalia, quibus divinam gratiam omnino excludimus. *Mense IV. Disc. 107. pag. 286. à num. 9. ad fin.*

^{1.}
Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatum? Matth. 11.

Sunt, qui aliquando peccatorum suorum recordatione compuncti ad confessionem accurrunt, conscientiamque evacuant. Verùm instabiles, ut arundo, obvio tentationis vento ad peccandum denuo impelluntur, sæpe eo ipso, quòd paratum habeant iterum absolutionis remedium. Verùm isti semetipsos gravissimè decipiunt; non enim confessionis olim reptendæ fiducia peccandum, cum incertum sit vitæ nostræ spatium, sed potius iteranda brevè confessio, ne in antiquas sordes relabamur. *Mense III. 34. pag. 50 1. à num. 6. ad fin.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

^{1.}
Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini. Joan. 1.

Via Domini optimè dirigitur, quando certus meditandi modus observatur. *Mense I. Disc. 3. pag. 33.*

^{2.}
Dirigite viam Domini. Joan. 1.

Moris erat apud Romanos, ut sive Consul ad Curiam tenderet, sive Victor quispiam cum
trium-

CONCIONATORIUS. 59

triumpho ingrederetur Urbem, apparitores præcederent, qui turbam submoverent, & viam venienti facerent. Veniet ad Judicium Christus in morem triumphantis, obstupescen-
tibus reprobis; justi verò sine ullo timore lætabuntur de triumpho Christi, & divinâ justitiâ, piis præmia, impiis pœnas dictante. *Mense III. Disc. 72. pag. 251. à num. 11. ad fin.*

3.

Tu quis es? Joan. 1.

In illo judicio quilibet videbit, qualis fuerit: proferentur enim & aperientur libri, quibus inscriptæ singulorum culpæ publicabuntur. *Mense III. Disc. 74. pag. 280. usque ad num. 4.*

4.

Dirigite viam Domini. Joan. 1.

Ut via sit commoda, oportet removeri non solum impedimenta omnia, quibus gressus impediuntur, sed etiam præstari securitatem à bestiis & latronibus: tales bestię & latrones sunt venialia peccata: *Capite nobis vulpes parvulas, Cant. 2. 15.* Et ut ait S. Greg. *Maligni spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident.* Ut ergo venialia peccata serio extirpemus, eadem semper ut hostes nostros intueri debemus, neo ullam illis pacem indulgere. *Mense IV. Disc. 108. pag. 297. usque ad num. 6.*

5.

Tu quis es? Joan. 1.

Tametsi semper laudabile & utile est, seipsum

d 4

sum

sum cognoscere, juxta illud Delphici templi oraculum: *Nosce teipsum*; maximè tamen hoc necessarium est, dum per confessionem volumus reconciliari Deo: tunc accuratè omnes conscientiae anguli discutiendi sunt. Verùm in hoc ipso culparum examine multi errant; quidam enim illud ferè omittunt ac imparati accedunt ad tribunal sacrum: alii obiter tantum ac perfunctoriè se examinant: alii nimiùm scrupulosè & anxie in peccata inquirunt. *Mense III. Disc. 85. pag. 510.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.

1.

Vid. bit omnis caro salutare Dei. Lucae 3.

Jam proximè instat Christi Nativitas, postquam novem mensibus in utero Virginis requievit: nascituro reverentiam & amorem debemus. De Incarnatione Domini. *Mense X. Disc. 276. pag. 21.*

2.

*Omnis vallis implebitur, & omnis mons & col-
lis humiliabitur. Luc. 3.*

In extremo judicio omnium hominum multitudo congregabitur; humiles exaltabuntur, superbi deprimentur. Ipsa hæc universorum collectio terribile faciet illud judicium. *Mense III. Disc. 73. pag. 258. usque ad num. 7.*

3.

3.

Omnis mons & collis humiliabitur. Luc. 3.

Præcipuè in extremo iudicio contremiscent reprobi, dum ipsis exprobrabitur ingratitude pro beneficiis Dei, præsertim redemptionis, dumque decretoriam sententiam audient. *Mense III. Disc. 74. pag. 288. à num. 4. ad fin.*

4.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3.

Joannes pœnitentiam prædicabat tanquam præcursor Domini, cui parare viam debebat. Non autem melius paratur via Domini, quàm per pœnitentiam, non solum mortalium peccatorum, sed etiam venialium; nam & hæc sunt hostes animæ nostræ, & quidem hostes validi ac potentes: singulari igitur certamine cum illis pugnandum est. *Mense IV. Disc. 108. pag. 304. à n. 6. ad fin.*

5.

Omnis mons, & collis humiliabitur. Luc. 3.

Qui nos peccando contra Deum ereximus, pœnitendo ac de commissis dolendo deprimere & humiliare nos debemus. Sine dolore serio valorem non habet confessio. Est ergo operæ pretium, scire, quid sit verus dolor ad acquirendum Sacramenti fructum requisitus, & quæ illius signa, *Mense III. Disc. 86. pag. 526.*

d s

DO.

DOMINICA INFRA OCTAVAM
NATIVITATIS D. N. J. C.

1.

*Perfecerunt omnia secundum legem Domini,
Luc. 2.*

Nihil desiderari in se passi sunt Maria & Josephus, sed omnia, nullo articulo omissio vel excepto, perfecerunt secundum legem. O inquam multis nos ab illa recedimus! tamen mortalia peccata fugiamus, non æquè accuratam curam contra venialia adhibemus. Hæc nobis diabolus tanquam levia depingit, ut nos in majora præcipitet. Igitur ut confundamus illum, studeamus ex ipsis venialibus, in quibus per fragilitatem labimur, elicere fructum, erubescendo humiliter coram divina præsentia propter nostram fragilitatem. *Mense IV. Disc. 109, pag 312. usque ad num. 9.*

2.

*Perfecerunt omnia secundum legem Domini,
Luc. 2.*

In multis quotidie à lege recedimus, & asserente scriptura, *justus etiam septies in die cadit.* Quoniam ergo omnino expugnare omnia venialia non possumus, commodum saltem aliquod ex illis eliciamus, *salutem ex inimicis nostris*: id est, agnoscamus nos reos & frequenter desuper doleamus: agnoscamus nos debitores, & pro iis satisfactionem quandam præstare laboremus.

Mense

Mense IV. Disc. 109. pag. 321. à num. 9. usque ad finem.

3.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Luc. 2.

Duo nobis in hodierno Evangelio proponuntur: unum in terrorem, alterum in consolationem. Venit quidem Salvator noster, ut omnes nos redimat & ad cælum perducatur: verumtamen aliis erit *in ruinam*, in graviolem damnationem, qui ipsum imitari ac præcepta ejus servare negligunt. Male illi de bonitate ac misericordia præsumunt, qui movere manum & propriam conferre operam ad salutem suam nolunt. Mense VII. Disc. 203. pag. 409.

4.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Luc. 2.

Maximo nobis solatio ac fiducia esse debet, quod Christus propter resurrectionem & gloriam nostram venerit, tantasque ærumnas in se suscepit: quis non speret omnia bona à tam benefico Redemptore? Verum hæc ipsa spes semper debet esse conjuncta cum timore, ne nos ipsi officio nostro desimus & ruinam pro resurrectione nobis accersamus. Mense VII. Disc. 205. pag. 436.

DOMI-

DOMINICA I.
POST EPIPHANIAM.

1.
Dolentes quarebamus te. Luc. 2.

Maximus fuit Mariæ & Josephi dolor, licet JESUM sine sua culpa amiserint. Magna enim, imò summa infelicitas est, JESUM amittere: maxima verò, cum per culpam nostram amittitur; ideò nobis summo dolori esse debet agnita illius amissio. *Mense X. Disc. 283. pag. 167. usque ad num. 5.*

2.
Regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Luc. 2.

Totius diei laborem in remetiendo itinere consumpserunt Joseph & Maria: summa contentio adhibenda est in reperiendo JESU, si semel amiseris. *Mense X. Disc. 283. pag. 176. à num. 5. ad fin.*

3.
Nesciebatis, quia in his, que Patris mei sunt, oportet me esse? Luc. 2.

Utcunque diligamus parentes nostros, eorum tamen voluntas postponenda est voluntati Dei. *Mense X. Disc. 284. pag. 186. usque ad num. 5.*

4.
Et erat subditus illis. Luc. 2.

Proposito Christi exemplo vult Deus, ut ob-
ediamus

CONCIONATORIUS. 61

ediamus parentibus nostris; secus facturis minatur supplicia. *Mense X. Disc. 284. pag. 195. à num. 5. ad fin.*

5.
Et erat subditus illis. Luc. 2.

Non soli Deo, summo rerum omnium Domino, obedientiam debemus, sed etiam hominibus; certè S. Paulus ait: *Servi obedite dominis vestris temporalibus, & aliàs S. Scriptura plena est tam mandatis, quàm exemplis obedientiæ. Verùm ne per obedientiæ præceptum in errorem inducamur, intelligere debemus & discernere, quid homini, quid Deo debeamus. Mense IV. Disc. 266. pag. 357.*

DOMINICA II.
POST EPIPHANIAM.

1.
Et erat Mater JEsu ibi. Joan. 2.

De devotione erga Beatissimam Virginem.
Mense X. Disc. 287. pag. 241.

2.
Vinum non habent. Joan. 2.

Magno dolori & pudori esse sponso debuit tam festina vini penuria: verùm aderat Mater Dei, aderat Christus ipse Dei filius, qui succurrere inopiæ potuit & voluit. In quacunque constituti sumus necessitate, firmiter in bonitate divina speremus, quia ipse Deus sperare nos jubet, &
firmi-

firmiter sperantibus opem certissimè feret. *Mense VII. Disc. 200. pag. 350.*

^{3.}
Cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.
Joan. 2.

Hæc mundanorum cauponum consuetudo est, ut hospitibus bono jam vino ebris apponant vinum vapidum aut acidum, quo sæpe eorum valetudo corrumpitur. Verùm culpæ partem maximam habet, qui inebriavit semetipsum; justo enim Dei judicio perniciem & corpori & animæ affert. *Mense V. Disc. 122. pag. 1.*

^{4.}
Vocatus est autem & JESUS Joan. 2.

Optimè fecit sponsus invitando JESUM, cujus præsentia convivas contineret in officio, & omnem ebrietatem petulantiamque excluderet. Quàm diversæ sunt ab illis nostræ frequenter nuptiæ! indulgetur noxiæ libertati & ebrietati: non vocatur JESUS, sed petulanter excluditur; quia per gulam peccatur in Deum, in proximum, & in seipsum, *Mense V. Disc. 226. pag. 76.*

^{5.}
Nuptiæ factæ sunt. Joan. 2.

Cùm Matrimonium sit Sacramentum, atque per id, sicut per alia, sanctificari sponso, adeoque celebrari nuptias cum omni deceat honestate, mirum est, Christianos quosdam eò delabi, ut tunc maximè indulgeant gulæ. Verùm

CONCIONATORIUS. 63

rum non jam de conviviiis nuptialibus solùm, sed bacchanalitiis symposiis loquendum, per quæ peccatur plurimùm ab iis præcipuè, qui vel consuetudine vel naturâ in gulam propendent. Ast paratum est omnibus contra gulam remedium, ut nempe aliorum damna hinc nata considerent, iisque perpensis omnes hujus vitii occasiones devitent. *Mense V. Disc. 129. pag. 120. ad num. 7.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

1.

Accessit ad eum Centurio, rogans eum, Matth. 8.

Non accessisset forte Centurio ad JESUM, nisi necessitas & utilitas propria impulisset; neque etiam leprosus. Salvator tamen eis etiam opem promptissimè tulit, qui non puro ejus amore, sed proprii commodi studio ad ipsum venerant. *Mense X. Disc. 293. pag. 344.*

2.

Vade, ostende te Sacerdoti, Matth. 8.

Et hodie & sæpius imperavit JESUS leprosis à se curatis, ut ostenderent se Sacerdotibus, quorum erat officium lepram à lepra discernere & mundatos denique populo restituere. Non de sua gloria, sed de Sacerdotum honore erat sollicitus. Secus planè faciunt Christiani multi, qui Sacerdotes ac Religiosos, si vel minimum in iis defectum viderint, traducunt & averfantur.

At

At verò perperam quorundam peccata ad contemptum totius Ordinis Ecclesiastici ac religiosi extenduntur, movere potius ad majorem illius status existimationem debent. *Mense II. Disc. 58. pag. 465. usque ad num. 4.*

3.

Ostende te Sacerdoti. Matth. 8.

Mittendo leprosum ad Sacerdotem non determinabat Christus, quis aut qualis, bonus malusve Sacerdos esset ad eundem, sed honorem dari volebat Ordini, non personæ soli; sciebat enim, etsi Sacerdotes quidam essent vitiosi, ab universo tamen eorum Ordine multas exerceri virtutes, ac magnam propterea illorum esse auctoritatem. Pariter sentiendum est Christiano de moderno statu ecclesiastico ac religioso. *Mense II. Disc. 58. pag. 473. num. 4. ad finem.*

4.

Non inveni tantam fidem in Israël. Matth. 8.

Laudat Christus Centurionem alienigenam & Romanum, ac confundit Judæorum duritiam. Ne talis confusio ac reprehensio nos aliquando feriat, discamus æstimare fidem & exercere: quod facilius fiet intelligendo, quid sit Fides Theologica seu divina. *Mense VII. Disc. 192. pag. 182.*

5.

Veniens adorabat eum. Matth. 8.

Cui melius comparabitur morbo ebrietas, nisi lepræ? hæc & illa totum hominem inficiunt,
atque

CONCIONATORIUS. 65

atque immundum faciunt: utraque alteri asfricari facile potest: utraque difficile emendatur ac sanatur. Quod invenies huic ebrietatis ac gulæ malo remedium? Orandum est, & ad Christum veniendum. Orandum, ut victoriam referas: animus reflectendus ad Christum, ejusque acerbissimam Passionem meditandam. *Mense V. Disc. 129. pag. 137. an. 7. ad fin.*

DOMINICA IV.
POST EPIPHANIAM.

1.

Imperavit Ventis & Mari, Matth. 8.

Miracula, quæ Deus in aquis fecit, excitare nos debent ad ejus opem in necessitatibus implorandam. *Mense X. Disc. 294. pag. 363. præcipue n. 5. pag. 369. ubi hujus Evangelii historia.*

2.

Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?
Matth. 8.

Venti & mare pluribus obediere Sanctis, ut S. Bennoni Misniæ Episcopo Albim fluvium, S. Mauro Anionem sicco pede calcantibus &c. Ac parum est obedire ventos, mare, ac fluvios: major est dignitas Sacerdotum, quorum verbis consecratoriis obedit ipse Deus, ac de cælo in terras descendit. Væ illis, qui perverso ducti ingenio Sacerdotum ac religiosorum statum persequuntur, de quibus ait Dominus: *Nolite tangere*

R. P. Calini, S. J. Index.

Chri-

Christos meos. Ps. 104. Peccatum istud grave est, persequentem gravibus peccatis jam esse obnoxium indicat. *Mense III. Disc. 59. pag. 482.*

3.

Veni & mare obediunt ei. *Matth. 8.*

Quod Christus præstitit saluti corporum, ne perirent tempestate, hoc præstant Sacerdotes saluti animarum, ne pereant in peccatis: ipsi sacrificiis iratum Deum mitigant, concionibus ad poenitentiam hortantur, poenitentes à noxis liberant, moribundos ad bonam æternitatem perducunt &c. Pessimè igitur agunt, qui statum ecclesiasticum aut religiosum denigrant, proscindunt, ac persequuntur; hæc enim iniquitas eos in magna peccata præcipitat. *Mense II. Disc. 60. pag. 495.*

4.

Quid timidi estis, modica fidei? *Matth. 8.*

Quamdiu Apostoli Christum mira operantem, aquam in vinum mutantem, leprosos mundantem, ægros curantem sine suo periculo videbant, firmiter credebant: nunc dum Christo dormiente tempestatem patiuntur, incipiunt titubare. Non immeritò igitur ab illo reprehenduntur. Ne ergo & nostra fides aliquando titubet, discamus, quid ad ejusdem fidei exercitium requiratur. *Mense VII. Disc. 193. pag. 197. usque ad num. 6.*

5.

Quid timidi estis, modica fidei? *Matth. 8.*

Dum discipuli Christum humano more dormien-

mien-

CONCIONATORIUS. 67

nientem viderunt, ferme obliti sunt divinæ illius sapientiæ ac virtutis, quæ ipsorum fidem confirmare debuisset. Sapiens est Deus, propterea aliquid ignorare aut errare non potest: verax est, propterea fallere non potest: consideremus attentius motiva, quibus ad firmiter credendum compellamur. *Mense VII. Disc. 193. pag. 207. à num. 6. ad fin.*

DOMINICA V.
POST EPIPHANIAM.

1.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus & superseminavit zizania. Matth. 13.

Qui invitus & præter intentionem obdormit, si interea damnum patitur, evigilans mox illud deplorat, & refarcire conatur. Verùm multi homines semetipsos in voluntarium somnum præcipitant, id est, voluntariam spiritualium damnorum ignorantiam amant, nolentes peccatum pro peccato existimare, ut liberiùs illud committant. De periculoso istorum statu agitur *Mense II. Disc. 32. pag. 1.*

2.

Sinite utraque crescere. Matth. 13.

Mirabiliter disposuit Deus, ut reprobi cum electis, & electi cum reprobis sint permixti; idque ad probationem nostram, ut fidelitatem nostram Deo demonstramus, si nos in tot pec-

candi occasionibus seduci non patiamur. Ut ergo nos à seductione tutos servemus, opus est, declinare malas occasiones. *Mense IV. Disc. 102. pag. 171. utque ad num. 10.*

3.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus,
Matth. 13.

Antiqua SS. Patrum doctrina est: *Semper te diabolus inveniat occupatum.* Perniciosa est quies, quæ inimico nostro tentandi nos opportunitatem præbet: maximè verò otiositas ad libidinem invitât, & eâ sublatâ hebetatur tentatio, ut ipse Ovidius testatur: *Otia sitollas periére Cupidinis arcus.* Optandum quidem est quandoque otium à gravioribus frequentioribusque negotiis: verum tamen semper illud periculosum est, nisi ad alias laudabiles occupationes impendatur. *Mense V. Disc. 133. pag. 214. usque ad num. 6.*

4.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus.
Matth. 13.

Ingenium seu animus hominis molendino similis est: non vult esse otiosum ac vacuum. Nisi tu animo bonas affundas cogitationes, diabolus veniet, & affundet malas. Otiositas multa inducit animæ damna, si nihil agas; plura verò, si agas malè. *Mense V. Disc. 133. pag. 227. à num. 6. ad fin.*

DOMI-

DOMINICA VI.
POST EPIPHANIAM.

1.

Et sic arbor. Matth. 13.

Sæpe ob res opinione nostra exiguas monet & stimulat nos conscientia. Hæ anxietates non contemnendæ & pro scrupulis semper habendæ sunt, sed bene considerandæ, ne in gravia animæ damna incidamus. *Mense II. Disc. 33. pag. 20.*

2.

Ita ut volucres cali veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13.

Ex minimo sinapis grano ingens ramorum multitudo surgit, & avibus locum præbet. Ex uno accessu ad scandalosam societatem ingens peccatorum multitudo oritur, quæ veluti volucres in animo nidificant, & ad plurium seductionem evolant. S. Augustinus fatetur, adolescentem se per malos socios eò devenisse, ut, quò æqualis videretur cæteris, jactaret se perpetrâsse, quæ nunquam cogitaverat. Remis igitur ac velis fugienda sunt pravorum hominum consortia. *Mense IV. Disc. 102. pag. 182. à num. 10. ad fin.*

3.

Et sic arbor. Matth. 13.

Parva sæpe scintilla magnum excitavit incendium. Parva tentatio non superata ac celeriter

e 3

repul-

repulsa magnis multisque peccatis aditum patefecit. Societas, quæ initio honesta videbatur, paulatim degenerat in vitium, & velut dulcis hamus capit non cogitantem, eundemque jam recedere metuentem plurimis peccatis implicat. Atqui ejusmodi societatum pericula sollicitè esse fugienda, si etiam alia ratio nulla suppeteret, satis S. Scripturæ, & SS. Patrum oraculis docemur. *Menſe V. Diſc. 135. pag. 270.*

4.

Et ſit arbor. Matth. 13.

Non frustra luxuriæ vitium vocatur lubricum; sicut enim ex grano sinapis grandis facile succreſcit arbor multosque ramos extendit, ita facile juvenus lubrica, velut in glacie factò impetu procurrens, in plurima & innumera peccata prolabitur. Est hæc libidinis indoles, ut innumeram peccatorum multitudinem intra eandem speciem progignat, & alia quoque accumulæ, ac, quod peſſimum, voluntatem contra omnia salutis remedia faciat contumacem. *Menſe V. Diſc. 132. pag. 195.*

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I.

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?
Matth. 20.

Mutat hodie Eccleſia colorem candidum in violaceum, teſtatura dolorem ſuum propter
Domi-

Dominicam Passionem. Æquum ergo est, ut & nos ejus memoriam repetamus. Aptè hodiernum nobis Evangelium homines refert, qui Patrem familias ideo reprehendunt, quòd fuerit in omnes justus, in quosdam liberalis. Eadem de causâ Judæi exarserunt in Jesum, quærentes inito consilio ejus interitum ex mera invidia. Explicatur hæc *Mense XI. Disc. 306. pag. 1.* Cogitaverunt ut interficerent eum: quia hic homo multa signa facit. *A Numero 4. usque ad 11. pag. 6.*

2.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

Vinea hæc, ut S. Gregorius M. explicat, universalis est Ecclesia, quam Christus plantavit in sanguine suo: ad eam vocat nos omnes, ut in ea laboremus, & ampliori fructu nos dignos faciamus. Ipse certè omnia pro nobis fecit, quæ potuit: quid potui *facere vineæ meæ, & non feci?* Isa. 5. Suscepit in se acerbissimam Passionem amore hominum. *Mense XI. Disc. 307. pag. 19. usque ad num. 10.*

3.

Accipientes murmurabant adversus Patrem familias. Matth. 20.

Justo dolori fuisse debet Patris familias operariorum iniquitas, qui eo momento, quo pactam mercedem justissimè persolutam accipiebant, murmurare non erubuerunt. Quantus igitur esse debuit dolor Christi, qui gratis venit in mundum, ut omnibus beneficeret, & tamen non à paucis, sed ferè ab omnibus gravissimos

dolores ac injurias passus est. *Mense XI. Disc. 309. pag. 55.*

4.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?
Math. 20.

Planè nequam & perversus erat oculus Judæorum, cùm Barrabam peterent liberari, in quo nihil unquam boni viderant, malefacta palam agnosebant; Christum verò ad mortem exposcerent, à quo tot acceperant & accepta nove-
rant beneficia. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Mich. 6. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus erga te fui? Mense XI. Disc. 330. pag. 459.*

5.

Murmurabant adversus Patremfamilias.
Math. 20.

Qui primi accesserant vineam, acceperunt ex conventionem facta denarium suum, & debebant esse contenti: ut murmurarent, fortè non omnibus venisset in mentem: unus invidiâ impulsus plus petebat, & jam non solus murmurabat, sed ejus exemplo murmurabant & reliqui: ea vis est scandali, ut etiam in æquissimi Patrisfamilias injuriam prorumpat. Videamus hoc maximè tempore Bacchanaliorum, quanta ex malis quorundam exemplis injuria fiat Christo. *Mense IV. Disc. 92. pag. 1.*

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

1.

A sollicitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur. Luc. 8.

Large sparserat JESUS verbi sui semina: sed pars illorum cecidit in spinas, nempe animos divitiarum cupidos, & suffocata est. Consilii inter Judæos contra JESUM initi causa prima fuit invidia, altera verò avaritia. *Mense XI. Disc. 306. pag. 1. à num. 1. usque ad 4. deinde num. 11. & 12.*

2.

Orum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

Sicut verbum Christi, ita & Passio Christi non in omnibus æqualem fructum fecit. Obtinet fructum Redemptor in omnibus electis suis, certissimum verò & amplissimum in æterno Patre suo, pro cujus gloria restauranda pati voluit tam acerba. *Mense XI. Disc. 307. pag. 30. à num. 10. ad finem.*

3.

Semen est verbum Dei. Luc. 8.

Fideliter ultimo sermone Christus discipulos monuit & roboravit: verum istud divini verbi semen non æqualem in omnibus fructum retulit: secus viam cecidit in Petro, quia (ut illi Christus prædixerat: *Simon, Simon, ecce Satanas expetit vos, ut cribraret sicut triticum, Luc. 22. v. 31.*) venit diabolus, & tulit verbum de corde ipsius, dum promissorum & auditorum immemor negavit

e s

vit

xit Dominum, periturus, nisi Christus pro eo rogasset, ut non deficeret fides ejus. Luc. 22. v. 32. Supra petram cecidit in Apostolis Christo capto fugientibus: *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* In spinas cecidit in Juda, qui divitiis excæcatus suffocavit in se verbum Dei. In terram bonam in Joanne, qui usque ad crucem Christo constanter adhæsit. Ultima post cænam usque ad hortum verba Christi ad Apostolos explicantur. *Mense XI. Disc. 314. pag. 156.*

4.

Deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvifiant. Luc. 8.

Uxor Pilati fideliter de somniis suis moneri fecerat maritum, & ipse partim suapte naturâ, partim Judæorum improba petitione suspiciosus jam inclinabat ad liberandum Christum; verum humano superatus respectu innocentem Dominum tradidit voluntati inimicorum, & seipsum in interitum dedit, publica manuum lotione & innocentiae Christi professione neutiquam excusandus. *Mense XI. Disc. 333. pag. 501.*

5.

In tempore tentationis recedunt. Luc. 8.

Non solus diabolus tentationes intentat, sed etiam homines, & pro pudor! etiam Christiani malo exemplo proximum tentant, & frequenter impellunt, ut anima fidelis recedat à Christo. Gravissimum verò damnum proximo

mo

mo inferunt, qui eum scandalizant. *Mense*
IV. Disc. 93. pag. 17. usque ad num. 7.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

1.

Postquam flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

Satis quidem luculentis verbis hodie Passio-
 nem suam prædixit Dominus: verum id multo
 sæpius insinuavit. Vult nimirum Passionis suæ
 memoriam perpetuò mentibus nostris impres-
 sam, atque id in animarum nostrarum utilitatem.
Mense XI. Disc. 108. pag. 35. usque ad num. 12.

2.

Postquam flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

Christus disertis verbis prædixit Passionem
 suam, eamque jam exantlavit: verum ut hæc
 ubique prædibetur, pauci tamen sunt, qui eam
 utiliter meditentur. *Mense XI. Disc. 308. pag. 50. &*
num. 12. ad fin.

3.

Postquam flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

Sicut nunc disertè Christus passionem suam
 discipulis prædixit, ita eandem à primo conce-
 ptionis momento semper meditatus est cum do-
 lore. Acerbissimus verò fuit ipsius dolor & pas-
 sio interior in horto Gethsemani. *Mense XI. Disc.*
316. pag. 191.

4.

Tradetur enim gentibus. Luc. 18.

Hoc nempe deerat ad Christi ignominiam, ut non sufficeret maximis injuriis absque ullo Dei timore eum affici à popularibus suis, quibus benefecerat: necesse videbatur in participium sceleris hominem etiam gentilem trahere, & quidem per importunitatem; erat enim Pilatus conscientiae delicatioris: sed tamen Judæorum tumultu commotus timuit, & innocentem Christum damnavit. Execrabilis timor, qui homines magis, quàm Deum timet. *Mense XII. Disc. 336. pag. 2.*

5.

Domine, ut videam. Luc. 8.

Bacchanaliorum insana gaudia multorum oculos fascinant, ut nec sua, nec aliena damna agnoscant: *Excæcavit illos malitia eorum. Sap. 2. v. 21.* Itaque vel nihil de scandalo cogitant, vel paucis forte se nocituros putant. Verùm non intra paucos consistere potest, sed & latè propagatur, & diutissimè perseverat. *Mense IV. Disc. 93. pag. 26. à num. 7. ad fin.*

DOMINICA I.
QUADRAGESIMÆ.

1.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu.
Matth. 4.

Hodierno Evangelio docente JESUS in desertum exivit, jejunio præmissa paraturus se ad prædi-

prædicationis officium inchoandum: nos hodie considerabimus Jesum exeuntem in hortum Getsemani ad inchoandam suam passionem. Comitemur eum illuc, & videbimus, quanto nobis honori sit cum Christo aliquid pati. *Mense XI. Disc. 315. pag. 172. usque ad num. 11.*

2.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Cùm diabolus suas in Christum jejunantem tentationes nihil effecisse videret, misit in cor Judæ, ut eum traderet hostibus: imò etiam obsedit Judam: nam post buccellam sacrilegè sumptam intravit in eum Sathanas. Considerabimus hac Quadragesima Christum à discipulis negatum & proditum, ab ethnicis frustra defensum, ab amicis & popularibus ad crucem compulsum. Agmen ducat perfidus Judas. *Mense XI. Disc. 323. pag. 229. usque ad num. 16.*

3.

Si Filius Dei es, Matth. 4.

Ad impudentiam usque progreditur tentatoris superbia, dum tam multa imperare ausus est Christo, quem tamen suspicatur esse filium Dei: imò etiam adorationem ab ipso expetit per summam injuriam: at Christus non ipsum increpat aut momento ad tartara præcipitat, sed mansuetè respondit. Sicut Christus occurrit diabolo, ita etiam ministris ejus Judæis & Sacerdotibus,

bus, quorum injurias maxima humanitate excepit. *Mense XI. Disc. 320. pag. 277.*

4.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Duxit JESUM Spiritus Sanctus in desertum, ubi hunc ad tendendum malignus spiritus inveniret. S. Greg. Hom. 16. in Evang. Ducitur jam Salvator & trahitur ab amore humani generis ad mortem, ut crucifigatur à membris diaboli. *Se ab illo permisit in montem duci tentandus, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi.* S. Greg. l. c. Exuerant illum vestibus suis, operuerant chlamyde coccineâ: jam damnato restitunt vestimenta, ut ea denuo cum vita exuat. Imitemur Christum, vestimenta ignominiae exeundo, justitiae induendo, priusquam moriamur: *Induimini Dominum JESUM Christum. Rom. 13. v. 14. Mense XII. Disc. 338. pag. 34.*

5.

DOMINUM DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. Matth. 4.

Affligitur Christus in horto, & in afflictione sua fugit ad remedium orationis, qua nullum certius in calamitate. Discamus ergo orationis & necessitatem, & modum exemplo Christi. *Mense XI. Disc. 317. pag. 210.*

DOMI-

DOMINICA II.
QUADRAGESIMÆ.

1.

Et sanata est filia ejus ex illa hora. Matth. 15.

Mirabilis fuit Christi potentia, qui sicut nuper absentem Centurionis filium, ita hodie absentem Chananaeæ filiam paucis verbis curavit, ad illius patrem dicens: *Vade, filius tuus vivit*; ad hujus matrem: *Fiat tibi, sicut vis*. Nova hodie potentiae hujus argumenta videamus, quae Christus tam hostibus, quam discipulis suis in horto exhibuit, ut agnoscamus, eum pati sponte & solo nostri amore mori voluisse. *Mense XI. Disc. 319. pag. 250. usque ad num. 10.*

2.

Non est bonum, sumere panem filiorum & mittere canibus. Matth. 15.

Mirabile est, quod Christus tam parcum se exhibuerit erga Chanonaeam, & filiae liberationem distulerit; cum tamen proprium corpus suum, panem Angelorum, in ultima caena porrexerit perfido Judae. Verum hoc fecit ad declarandam suam bonitatem, illud ad probandam feminae fidem. Videamus Christi in convertendo Juda clementiam, in deserendo justitiam. *Mense XI. Disc. 313. pag. 149. à num. 16. ad fin. Adde Disc. 319. pag. 271. num. 11.*

3.

3.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matth. 15.

Admiremur Christi mirabilem in nos homines charitatem. Ab æterno Patre glorificatus, & cælesti voce laudatus demisit se ad infirmorum fervorum ludibria. Dilectus Dei filius jam de se ipso potest dicere: *Ego autem sum vermis & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis.* Psalm. 21. v. 7. Quid à Caiphæ servis passus sit Christus, explicatur. *Mense XI. Disc. 323. pag. 340. usque ad num. 7.*

4.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Matth. 15.

Magnus honor Christo à Patre exhibitus fuit, dum clarificavit illum, & ut in ipso Lex & Prophetæ complendi scirentur, Moysen & Eliam socios misit. At vide jam Redemptorem tui amore ad infimam vilitatem redactum, dum crucem moriturus bajulat, non jam Legislatore & Propheta, sed nequissimis latronibus stipatus: *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo.* Luc. 23. v. 32. *Mense XII. Disc. 339. pag. 50.*

5.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 15.

Cum gloria apparuit Christus in monte discipulis, ut agnoscerent etiam corporis ejus dignitatem, indeque minùs commoverentur, cum in passione visuri essent ejus infirmitatem. Nam
 alio

alio modo *transfiguratus est ante eos in horto, ubi non Moysen & Eliam gratulantes videbant, sed Angelum in extremo ejus dolore consolantem animadvertentem: nec Christum dedignantem ab Angelo consolationem accipere.* *Mense XI. Disc. 318. pag. 231. usque ad num. 6.*

DOMINICA III.
QUADRAGESIMÆ.

1.

In Beelzebub principe demoniorum ejicit demonia.

Luc. 11.

Hanc calumniam; aliásque plures huic similes in Christum & ejus miracula emovebant Judæi; nec tamen per eas populi reverentiam erga eum, neque ejus famam evertent. Continuârunt eas usque ad Passionem illius, ac in domo Caiphæ falsi prodierunt testes: verùm Christus vitam sic innocenter traduxerat, ut calumniæ vim haberent nullam. Sic vivere nos hortatur Paulus, *ut is, qui ex adverso est, vcreatur nihil habens malum dicere de nobis.* Exemplo Christi hoc discimus. *Mense XI. Disc. 321. pag. 296. usque ad num. 6.*

2.

Universa arma ejus auferet, in quibus confidebat. *Luc. 11.*

Frustra in viribus suis confidit homo: non opus est, ut fortior superveniat; saepe illum infirmior stravit. Sapienter David: *Non in arcibus*

R. P. Calini, S. J. Index, f meo

meo sperabo, neque gladius meus salvabit me. Psal. 43. 7. Utinam considerasset hoc Petrus! non ita se jactasset: etiamsi opportuerit me mori tecum, non te negabo. Et: si omnes scandalizatifuerint in te, ego non scandalizabor. Consideranda est negatio, ejus causa, & pœnitentia, Mense XI. Disc. 322. pag. 318.

3.

Ut vidit cogitationes eorum, Luc. 11.

Honorificè habebant Christum Judæi ejecto dæmonio: blasphemè de eo cogitabant, sed cogitationes verbo prodere non audebant: & cum ipse longo sermone eorum cogitationibus responderet, non obmurmurabant, nec foeminam eum laudantem reprimebant, nec lapides vibrabant, quia nondum venerat hora ejus. Verùm in passione sua dum tacuit, dum obtuit & non aperuit os suum, gravissimis contumeliis ab infima hominum fæce affectus est. Vide causam, quæ servos impulit ad vexandum Dominum. Mense XI. Disc. 323. pag. 350. à num. 7. ad fin.

4.

Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Luc. 11.

Vult nos Christus in crucis bajulatione socios; si enim compatimur, etiam conglorificabimur. Contra verò dicit: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Luc. 14.* Difficilis quidem initio est crucis bajulatio,

CONCIONATORIUS. 83

tio, dum ab invitis suscipitur: si verò suscepta patienter feratur, nos ad sanctificationem nostram perducit. De Simone Cyrenæo ad ferendam crucem angariato *Mense XII. Disc. 340. pag. 68.*

5.

Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Luc. 11.

Christus ad Patrem oraverat: *Aufer à me calicem istum, verum simul se perfectè illius voluntati tradidit: Non mea, sed tua voluntas fiat.* Misit Pater Angelum ad confortandum, non ad liberandum. Quare Christus nunciante Angelo novam luctam & libenter suscepit, & patienter sustinuit. *Mense XI. Disc. 318. pag. 239. à num. 6. ad finem.*

DOMINICA IV.

QUADRAGESIMÆ,

1.

Videbant signa, quæ faciebat. Joan. 6.

Non videbant solùm, sed & palpabant manũ, & ore gustabant, & voce prædicabant: *Hic est verè Propheta.* Hæc cum essent publica, difficillimum & planè impossibile erat, JESUM cujusquam criminis reum convincere. Tentârunt tamen Judæi coram Pilato: verum eò magis coram patuit odium & iniquitas, quò magis Christus ad objectas calumnias tacebat. Fecit id ad

f 2

præ.

præterendum nobis patientiæ exemplum. *Mense XI. Disc. 325. pag. 378. usque ad num. 6.*

2.

Videbant signa, quæ faciebat. Joan. 6.

Noverat omnis populus Christi miracula, & tamen illum accusabat: noverat Judas illius divinitatem, & tamen illum prodebat: noverat & senserat Petrus ejus charitatem, & tamen negabat. Quis tandem Christi causam defendendam suscipiet? Ipse Judex ethnicus fuit primus, qui in Christi morte partem habere noluit, ad confusionem Judæorum. *Mense XI. Disc. 328. pag. 431.*

3.

Unde ememus panes? Joan. 6.

Christus pro plebe pascenda sollicitum se ostendit, & quasi consilium desuper cum discipulis inibat; mira charitas in homines, quibus nihil debebat. Contra verò Caiphas & Principes, sine legitimo consilio, omnia præcipitantes, urgebant Christi mortem: horrenda impietas in eum, cui tanta debebant beneficia. *Mense XI. Disc. 324. pag. 358. usque ad num. 8.*

4.

Subiit ergo in montem JEsus. Joan. 6.

Qui hodie amore turbarum se sequentium in montem subiit, ut plebem famelicam pasceret, idem proximè ascendet in montem Calvariæ, ut sanguine proprio redimat universum genus humanum. Magna fuit illius in turbam charitas, major

major in homines omnes, quorum gratia tan-
tos in crucifixione dolores sustinuit. *Mense XII.*

Disc. 341. pag. 83.

Unde ememus panes? Joan. 6.

*Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, ait Christus Matth. 4. Qua sententia alium corporis, alium animæ panem adstruit; illi panem frumentaceum, huic verbum Dei seu verbo prædicantium, seu internis instinctibus insinuatum, præcipuè ad pœnitentiam. David Psal. 79. v. 6. ait: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Et Psal. 41. v. 4. Fuerunt lacrymæ meæ panes die ac nocte. Ac de pœnitentiæ operibus loquens ait Ps. 101. v. 10. de seipso: Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Det nobis Deus hunc pœnitentiæ panem, ut salubrius nos quàm Judam, delictorum pœniteat, qui easdem, quas Judas, pœnitenti causas habemus, 1. injuriam illatam Christo; 2. conscientia vermẽ; 3. proprii decoris recordationem. Hæ causæ nos excitent non ad animi dejectionem, sed ad generosam conversionem. *Mense XI. Disc. 326. pag. 395. usque ad num. 10.**

DOMINICA PASSIONIS.

1.

JESUS autem abscondit se. Joan. 8.

In hodierno quidem Evangelio evasit Christus latronum manus, atque in rei memoriam absconduntur Crucifixi imagines: at in Passione, dum Pilatus eum flagellari jubet, non jam absconditur, sed abreptis vestibus totus nudus patet ad flagella. Imò carnificum crudelitate de novo absconditur, totus perfusus sanguine: *Non est species ei, neque decor, & quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum,* ait Isaias c. 53. Consideremus accuratiùs acerbissimam flagellationem. *Mense XI. Disc. 331. pag. 471. per totum.*

2.

Est Pater meus, qui glorificat me. Joan. 8.

Postquam Christus à Juda proditus, à Petro negatus, à popularibus accusatus, à Pilato frustra defensus est, misit æternus Pater Angelum, qui judicis uxori in somnis apparuit, ad defendendamque Christi innocentiam animavit. Paruit illa, & præmium retulit: obsurduit iste, & periit. Erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur. Plurimum refert, aliorum monitis obsequi. *Mense XI. Disc. 329. pag. 443.*

3.

3.

Quis ex vobis arguet me de peccato ?

Joan. 8.

Cum nihil peccati in Christo invenire se posse viderent, impellente tamen odio extinctum illum vellent Judæi, maximo suo labore & incommodo urgebant mortem ipsius, suamque cæcitatem magis involvebant ac condensabant. *Labor labiorum ipsorum operiet eos. Ps. 139. v. 10. Malitia auxit cæcitatem. Mense XI. Disc. 324. pag. 370. à num. 8. ad finem.*

4.

Quis ex vobis arguet me de peccato ?

Joan. 8.

Nihil unquam invenit Judæorum invidia, quod meritò in Christo reprehenderent: nunc observabant eum: nunc quæstiones faciebant, ut caperent eum in sermone: nunc signa petebant: omnes eorum fallacias confutabat ille, sed maximè convincebat pendens in cruce. Qui enim ex sceleratissimis bonos facit, quomodo ille non optimus sit? Latronem ex blasphemo fecit pœnitentem & martyrem, qui meritò tempore Paschalis Confessionis imitandus proponitur. *Mense XII. Disc. 344. pag. 138.*

5.

Non auditis, quia ex DEO non estis.

Joan. 8.

Pœnitudo, quæ Judæ cor propter proditio-

f 4

nem

nem Domini tetigit, tres pulchros & peccatoribus necessarios fructus protulit: quibus utinam ille ad salutem suam usus fuisset! Multi Christianorum, dum pœnitentiam agunt, vix assequuntur illos pœnitentiæ suæ fructus, & propterea mirum non est, multos post confessionem non meliores, sed quandoque cumulatis peccatis pejores fieri. Contendant igitur omnes seriam agere pœnitentiam, & Judæ interitum devitare. *Mense XI. Disc. 326. pag. 407. & num. 10. ad finem.*

DOMINICA PALMARUM.

I.

Ecce Rex tuus. Matth. 21.

Quod nobis in hodierno Evangelio Propheta insinuat, idem indicare voluit sponsa in Canticis C. 3. V. II. *Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.* Invitat nos nimirum Ecclesia ad considerandum hodie Christi diadema in triumpho palmarum; sed simul ad considerandam in ejus Passione coronam spineam, qua illum coronavit Synagoga. Hanc ille patientissimè ferens confundit impatientiam nostram. *Mense XI. Disc. 332. pag. 484. usque ad num. 8.*

2.

Ecce Rex tuus. Matth. 21.

Christum hodie Solymas ingredientem magna
plebis

plebis concurrentis multitudo regem agnoverat; at paucos post dies instinctu Sacerdotum jam eum ad mortem petebat. Confudit Judæos ipse Judex, sæpius eum appellando Regem, & instando: *Regem vestrum crucifigam?* Joan. 19. At illi in perditionem suam exclamabant: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Mense XI. Disc. 34. pag. 519.

3.
Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.
Matth. 21.

Res iniquissima! Rex cæli ab homine mittitur ad Regem terrenum judicandus, Christus à Pilato ad Herodem. Verùm confunditur Pilati astutia, deluditur Herodis curiositas, Christi taciturnitas triumphat. Mense XI. Disc. 327. pag. 416.

4.
Ecce Rex tuus. Matth. 21.

Quàm maximè penetrant animos ultima principum, magistrorum, parentum verba; ecce Rex tuus, Christiane, de throno crucis: magister tuus de cruce, tanquam cathedra: pater tuus moriens è lecto crucis postrema tibi documenta relinquit: attende ipsius verba, & expende. Mense XII. Disc. 345. pag. 156.

5.
Ecce Rex tuus. Matth. 21.

Inscriptus cruci titulus JESUM Regem Judæorum vocat: at illis eum Regem suum esse negantibus

f s

tibus

tibus gloriamur nos & Christum Regem amplectimur, putamúsque nobis omnibus dictum illud Psalmistæ: *Respice in faciem Christi tui.* Hunc ergo in cruce pendentem attentius hodie consideremus. *Mense XII. Disc. 343. pag. 119.*

IN CÆNA DOMINI.

1.

Sciens JESUS, quia omnia dedit ei Pater in manus. Joan. 13. v. 3.

JESUS in SS. Altaris Sacramento instituendo maximum divinæ suæ potentiae miraculum paravit: quod non mirari solum, sed illud etiam amare, atque in hoc miraculo majestatem illius humillimè adorare debemus. *Mense XI. Disc. 310. pag. 70. usque ad num. 7.*

2.

Non estis mundi omnes. Joan. 13. v. 11.

Ut dignè simus præparati ad suscipiendam S. Communionem, requiritur status gratiæ ferè perpetuus & divinæ legis observantia. *Mense XI. Disc. 311. usque ad num. 10.*

3.

Exemplum dedi vobis. Joan. 13. v. 15.

Tametsi excepto Judâ integerrimi fuerint Apostoli & peccatis expurgati, tamen Christus eorum

CONCIONATORIUS. 91

eorum pedes lavat : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, nimirum ut minimos quoque ad peccatum affectus evellat. Et hæc est proxima ad S. Communionem præparatio, accurata Conscientiæ emundatio. *Mense XI. Disc. 311. pag. 101. num. 10. ad finem.*

4.

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13.

Perpetuum Christi studium fuit, ut unanimem inter Apostolos suos sensum & concordiam conservaret, sciens optimum cujusque familiæ thesaurum esse concordiam: quare omnem ab eis ambitionem & æmulationem exclusit; Petrum, quid de Joanne fieret, interrogantem redarguit; discipulos, quis eorum videretur esse major, disputantes increpuit, & quidem ultima nocte. Patresfamilias, si sibi subditos vere diligant, concordem faciant & conservent. Grave enim malum est domesticorum discordia ipsa, & gravium malorum mater. *Mense VI. Disc. 174. pag. 374.*

5.

In finem dilexit eos. Joan. 13.

Ultimum Christi in discipulos suos beneficium fuit duplex charitatis documentum, cum nempe & discipulorum pedes lavit, & corporis ac sanguinis sui Sacramentum eisdem porrexit, eaque ratione profundam omnium documentorum

rum suorum memoriam eis impressit. Imbibant Patres familias Spiritum Christi, & si domi suæ versari discordiam aliquam advertant, non conveant, vel omnino consentiant, sed protinus tollant. *Mense VI. Disc. 176. pag. 407.*

In DIE PARASCEVES.

1.

Tradidit eum voluntati eorum, ut crucifigeretur. Luc. 23.

Christum crucifixerunt inordinatæ nostræ passiones; nam & populus invidiâ & odio impulsus mortem ejus petiit: Pilatus timore & captandi popularis favoris cupiditate excæcatus eum condemnavit. Iniquissima hæc sententia frænandarum nobis passionum sollicitudinem ingerat. *Mense XII. Disc. 337. pag. 16. per totum.*

2.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum.
Joan. 19. v. 14.

Titulus iste sicut ingratis Judæis omnibusque obstinatis peccatoribus terribilis erit, sic justis in solatium & fiduciam cedit. *Mense XII. Disc. 342. pag. 101.*

3.

Crucifige, crucifige eum. Joan. 19.
Mundi fallaciam & perfidiam discimus, dum
Chri-

Christum post innumera beneficia populo Judæorum præstita ab eodem summa contentione ad mortem crucis postulari videmus. *Mense XI. Disc. 335. pag. 539.*

4.

*Tenebræ factæ sunt in universam terram,
Luc. 23.*

Necesse est, moriente Domino commoveri omnium corda, dum in ejus morte miris prodigiis etiam inanimata elementa fuere commota, alia ad peccatorum conversionem, alia ad justorum consolationem. *Mense XII Disc. 46. pag. 179.*

5.

Acceperunt ergo corpus JESU, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire, Joann. 19. v. 40.

Christum in cruce mortuum ultimo honore profecuti sunt viri nobilissimi, & feminae: omnes nec honori suo, nec sumptui parcebant, sed quadam devotionis æmulatione certabant: Qua in re exemplum nobis dederunt venerandi mortem Domini, & illius sepulchrum honorandi. *Mense XII. Disc. 347. pag. 197.*

DOMI-

DOMINICA PASCHATIS.

1.

Surrexit; non est hîc. Marc. 16.

Resurrectio Domini faciliat fidem, roborat spem, inflamat charitatem nostram. *Mense XII. Disc. 349. pag. 231.*

2.

Surrexit. Marc. 16.

Justissima est universæ Ecclesiæ lætitia in Resurrectione Christi: victus infernus est, mors debellata, fides triumphat. Verùm non solam terram resurrectio Christi lætificat: subterraneos quoque specus implevit gaudio, dum SS. Patres ex limbo liberavit. *Mense XII. Disc. 348. pag. 214.*

3.

Surrexit; non est hîc. Marc. 16.

Postquam resurrexit Christus, sola in sepulchro reliquit linteamina, quibus erat involutus: nihil de se reliquit, totus resurrexit: non est hîc. Sic Peccatores debent resurgere, ut nihil non expurgatum relinquunt: reliquerunt in S. Tribunali peccata, quibus fuerant involuti: nihil relinquunt etiam de reatu pœnæ, sed post Confessionem solliciti sint, ut pœnas quoque peccatis debitas per exactam satisfactionem expugnant. *Mense II. Disc. 36. pag. 70.*

4.

4.

Quis revolvat nobis lapidem? Marc. 16.

Condonanda est sanctis mulieribus anxietas sua, quam habebant propter lapidem sepulchri; erat quippe magnus valde, ipsæ autem teneræ ac debiles vincendæ difficultati non erant pares. Quis autem excuset Christianorum quorundam ignaviam, qui quidem resurgere cum Christo volunt, peccata sibi vel remitti cupiunt, vel de remissis gaudent, sed mediocrem pœnitentiam à Confessario sibi injunctam refugiunt: *Quis revolvat nobis lapidem?* Cùm nulla par peccatis injungi pœnitentia possit, ostendit se non verè esse pœnitentem, qui injunctam pœnitentiam persolvere recusat. *Mense III. Disc. 88. pag. 578. usque ad num. 7.*

5.

Valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, Marc. 16.

Ardentissima erat piarum mulierum in Christum charitas: somnum abrumpunt, egrediuntur, vix orto sole jam ad monumentum stant, & charitatis suæ præmium accipiunt angelicam visionem. Quàm longè ab illis abest quorundam tepor, qui vel ideò modicum ex peractis confessionibus fructum percipiunt, quia semel expiati nimium procrastinant ac differunt alteram confessionem. *Mense III. Disc. 89. pag. 599. usque ad num. 9.*

DOMI-

DOMINICA II.
P A S C H A T I S.

1.

Surrexit Dominus verè. Luc. 24.

Christus post resurrectionem suam apparet duobus discipulis euntibus in Emmaus, *Mense XII. Disc. 351. pag. 269.*

2.

Qui sunt hi sermones, quos conferis ad invicem, & estis tristes? Luc. 24.

Perplexi erant duo discipuli; non diligebant Jesum & noverant miracula: mortem ejus viderant, resurrectionem non viderant: mulieribus credere volebant; resurrectionem tamen factam negare non audebant: in hac anxietate hærebant, donec Jesus eos illuminaret. Similis perplexitas multos Christianos tenet, dum hærent inter remorsum conscientia, & scrupulum, variisque dubiis exagitantur, præcipuè post confessionem. Ne igitur peracta Paschali confessione quies animi nostri deinceps turbetur, consideremus discrimen inter anxietatem Conscientia, scrupulum, & dubium. Concionator hinc laborabit, ut tria hæc explicet clarè, & exemplis illustret ad captum auditoris. *Mense II. Disc. 34. pag. 36.*

3.

Mane nobiscum, Luc. 24.

Postquam à peccatis per confessionem purgatus est homo, ex tenebris ad quendam gratiæ meridiem & conscientiæ serenitatem venit. Verùm sæpe contingit, ut fervor pœnitentiæ deficiat; *quoniam advesperascit.* Recordari ergo peccatorum jam remissorum debemus, ne fragilitas nostra denuo nos in priora peccata præcipitet: *mane nobiscum Domine*, & nos in tua gratia confirma. *Mense II. Disc. 37. pag. 86. usque ad num. 5.*

4.

O stulti, & tardi corde! Luc. 24.

Meritò hæc Christi reprehensio etiam illis inculcari potest, qui accepta peccatorum remissione injunctam pœnitentiam nimium sibi difficilem arbitrantur, eamque vel omittunt vel differunt. Stulti sunt, quia purgatorii gravissimas pœnas malunt, quàm breve jejunium, orationem, vel eleemosynam sibi impositam: tardi sunt, quia morantur Deo pro remissione peccatorum satisfacere, nescientes, an in crastinum victuri & tempus habituri sint, ut exiguâ hæc pœnâ gravioribus se purgantis flammæ suppliciis subtrahant. Cito igitur, libenter, ac promptè peragenda est pœnitentia. *Mense III. Disc. 88. pag. 590. à num. 7. ad fin.*

5.

O stulti & tardi corde! Luc. 24.

R. P. Calini, S. J. Index.

g

Si

Si quis consideraret commoda ex confessione nascentia, lubenter & ferventer ad eam frequentandam accederet. Remittuntur peccata, deletur reatus poenae, animus tranquillatur, contra tentationes roboratur &c. Hæc quia non considerantur, modicus ex confessionibus sæpe fructus refertur, quia multi vel aliorum demum jussu coacti vel ex mera consuetudine confitentur. *Mense III. Disc. 89. pag. 613. à num. 9. ad finem.*

FERIA III.

P A S C H A T I S.

1.

Pax vobis : ego sum, nolite timere,
Luc. 24.

Bonitas Christi erga suos fideles, quos tanquam passionis suæ socios multiplici consolatione confirmat. *Mense XII. Disc. 352. pag. 291. usque ad num. 8,*

2.

Pax vobis, ego sum, nolite timere,
Luc. 24.

Omnibus Deum verè quærentibus pax annuntiatur à Christo, præcipuè discipulis, qui parati jam erant omnia pro illo pati & per quævis aspera illi adhærere. Alii verò acquisita semel animi pace & peccatorum remissione ad insolentiam suam abutuntur, de quibus Jerem. c. 6. v. 14. dicen-

dicentes : *Pax, pax, & non erat pax.* Quare ?
 quia remissionis gratiâ nesciunt uti : *Viam pacis*
nescierunt. Isa. 59. v. 8. In salubri igitur timore
 post Confessionem versari debemus, quia igno-
 ramus, num nobis peccata quoad culpam &
 pœnam omnino remissa sint. *Mense II. Disc. 35.*
pag. 53. usque ad num. 6.

3.

Nolite timere. Luc. 24.

Meritò Christus discipulos, quibus præsens
 & spectabilis erat, sine omni timore esse jubet,
 erant enim omnes in gratia, & qui peccaverant,
 jam pœnitentiam egerant. Petrus tamen cæ-
 teros fideles jubet in timore versari : *In timore*
incolatûs vestri tempore conversamini. 1. Petri I. v. 17.
 Et licet gaudendum nobis sit in amore salvatoris,
 propter commissa tamen peccata timendum est,
 ne Deus nos nimium securos deserat, & in pec-
 cata relabi permittat. *Servite Domino in timore &*
exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne
quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.
 Psal. 2. *Mense II. Disc. 37. pag. 95. à num. 5.*
ad finem.

4.

Videte manus meas, & pedes. Luc. 24.

Deterfis cæteris Passionis suæ vulneribus ser-
 vavit Christus quinque manuum, pedum, &
 lateris vulnera ad renovandam nunc in nobis a-
 moris sui memoriam, & olim exprobrandam
 damnatis ingratitude. Plura enim passus

§ 2

est

est pro nobis, quàm fuisset opus, quippe qui unicâ sanguinis gutta redimere nos potuisset: abunde voluit satisfacere. O igitur nos ignavos, qui pro peccatis nostris nos satisfacisse putamus modicâ pœnitentiâ! Nónne plus meruit & Christi charitas, & nostra iniquitas? Supererogatoria quædam pœnitentiæ opera sunt suscipienda, quia peccavimus, & quia peccare deinceps possumus. *Mense III. Disc. 90. pag. 622.*

DOMINICA IN ALBIS.

1.

Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, Joan. 20.

Singulare Christi in omnes fideles suos beneficium est institutio Sacramenti Pœnitentiæ. *Mense XII. Disc. 352. pag. 302. à num. 8. ad finem.*

2.

Dominus meus, & Deus meus. Joan. 20.

Hæc Thomæ professio confundit Atheorum perfidiam, qui negant esse aliquem Deum: confundit Epicuræorum stultitiam, qui negant, curam esse penès Deum de rebus humanis; non enim solus Deus, sed & Dominus est. *Mense II. Disc. 39. pag. 122.*

3.

3.

Nisi videro, non credam. Joan, 20.

Difficiliter Thomas ad credendam Christi resurrectionem inductus est: videre prius voluit, deinde primum credere, Multi peccatores credere non volunt, Deum peccatis ad iracundiam provocari, donec flagella jam videant. Hinc omnis calamitatum origo: peccata à sceleratis hominibus perpetrata eas in cervices nostras provocant. *Mense IV. Disc. III. pag. 348. ad num. 7.*

4.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan, 20.

Sunt nonnulli de sua quasi justitia ac probitate præsumentes, qui dum calamitates publicæ immittuntur, omnem culpam in peccatores conjiciunt iisque irascuntur, quasi ipsi omnis culpæ vacui essent: non credunt, semetipsos etiam esse in causa. Noli, quæso, esse incredulus, sed fidelis tui ipsius cognitor. Nam nisi nunc quidem gravis peccati reum te non invenias, fuisti tamen aliquando reus, ut propterea Deus punire te possit, quòd si mortaliter nunquam peccâris, sufficiunt ad infligendam tibi poenam sola venialia, quæ tam frequenter committis. *Mense IV. Disc. III. pag. 358. à num. 7. ad finem.*

DOMINICA II.

P O S T P A S C H A :

1.

*Animam meam pono pro ovibus meis,
Joan. 10.*

Satis intelleximus, quanta pro nobis passus sit Christus, ut nos tanquam oves perditas quaereret. Eramus creati à Patre ad æternam felicitatem: eâ postquam Adamo peccante excidimus, reducere nos filius voluit. Redeamus igitur ad illum, hortante in hodierna Epistola S. Petro: *Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. 2. Consideremus igitur, quem in finem creati simus. *Mense I. Disc. 4. pag. 49.*

2.

Cognosco oves meas. Joan. 10.

Omnia perspicit Deus: cognoscit oves suas & fideles & errantes; nam immensus & ubique præsens est. *Mense II. Disc. 42. pag. 172.*

3.

*Cognosco oves meas, & cognoscunt me
mea. Joan. 10.*

Cognoscit oves suas Christus, quæ ipsum humilitate, patientia, simplicitate, legum observantia imitantur: cognoscunt ipsum oves suæ,
quæ

quæ non alterius, nisi Christi ductum sequuntur; nullas alias vivendi regulas habent aut ab ullo suscipiunt, nisi quas ille præscripsit. At verò longè alias mundus & diabolus præscribunt, quas qui sequuntur, summam Christo injuriam faciunt. *Mense III. Disc. 75. pag. 299. ad num. 6.*

4.

Lupus rapit, & dispergit oves. Joan. 10.

Væ illis, qui bonum pastorem deserunt, ejusque præcepta negligentes sequuntur mundi regulas ac placita. Hi facilè infernali lupo in prædam cedunt. Tu si ejusmodi principiis ac perversis vivendi regulis utaris, gravissimum damnum proximo, tibi ipsi certum interitum accerfis. *Mense III. Disc. 75. pag. 309. à num. 6. ad finem.*

5.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. Joan. 10.

Miserrimus est, qui pro mercede temporali servit; ubi enim periculum imminet, Domino suo esse fidelis desinit. Lucri sola spes aliquamtenus eum in officio continet, sed neque lucri cupiditas, licèt cum infamia fugientem deserit. Detestabilis est omnis avaritia, cùm hominem semel eo vitio occupatum eò inducat, ut vix ad meliorem viam vitamque converti possit, donec vivit. *Mense V. Disc. 143. pag. 444. ad num. 9.*

DOMINICA III.
P O S T P A S C H A.

I.

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.
Joan. 16.

Pro temporaneo luctu, & brevi tristitia ac difficultate promittitur nobis æterna & securæ felicitas. Sanè felicissimus est, qui ad finem, cujus causâ creatus est, pervenit. *Mense I. Disc. 5. pag. 58.*

2.

Non videbitis me. Joan. 16.

Nemo penetrare potest æternitatem Dei, nemo capere immutabilitatem, nemo comprehendere incomprehensibilitatem: necesse est propterea, ut humiliter adoremus tantam majestatem. *Mense II. Disc. 40. pag. 140.*

3.

Tristitia vestra vertetur in gaudium.
Joan. 16.

Non curandus vel attendendus est mundi risus, quando vani homines nos propter pietatis studium irrident: risus illorum fletu miscebitur & extrema gaudii occupabit luctus. Nos si constantes erimus, nec illorum risibus à bono nos absterreri patiemur, æterni gaudii pignus habe-

habemus: sin verò nos vinci respectu humano
finamus, magnam Christo injuriam faciemus,
quia ipsius legem erubescimus. *Mense III. Disc.*
78. pag. 365. ad num. 4.

4.

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Joan. 16.

Gaudete in Domino semper, iterum dico,
gaudete, ait Apostolus Gentium; nam in solo
Deo solidum, verum, æternum gaudium est,
quod nulla vis mundi tollere à nobis potest.
Quid igitur in mundo potiùs gaudium nostrum
ponamus, qui transit & decipit, ac magnis nos
incommodis involvit? Nolli attendere mundi
judicia; secus faciens summam Christo ingra-
titudinem exhibebis, tibi que ipsi grave inferes
detrimentum. *Mense III. Disc. 78. pag. 375. à*
num. 4. ad fin.

5.

Tristitiam habet, quia venit hora ejus.

Joan. 16.

De muliere pariente, dolorésque suos præ-
sentiente hæc dicit Dominus, sed & prædicat
eam parto masculo gaudium habituram. Alia
fortuna manet avarum, qui justissimam tristi-
am habet, quia venit hora ejus, qua cogitur de-
serere omnia, tam sollicitè conquesta. His pres-
sus angustiis difficillimè se convertet, seu in sera
senectute, seu in ultima ac lethali ægritudine.
Mense V. Disc. 143. pag. 456. à n. 9. ad fin.

g 5

DO-

DOMINICA IV.
P O S T P A S C H A.

1.

Arguet mundum de peccato. Joan. 16.

Quare Spiritus Sanctus, qui spiritus charitatis & Deus consolationis est, mundum de peccato arguet? Respondet Christus: *Quia non crediderunt in me: quia boni Pastoris vocem non audierunt, nescierunt. neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, dum finem suum ultimum neglexerunt. Summa infelicitas est, ad æternam beatitudinem non pervenire. *Mense I. Disc. 6. pag. 73.*

2.

Quia non crediderunt in me. Joan. 16.

Ideo de peccato arguet mundum Spiritus Sanctus, quia in Deum non crediderunt. Ex hac incredulitate enim omne peccatum, quia nemo peccaret, si crederet Deum omnia posse, & omnia nôsse. *Mense II. Disc. 41. pag. 252.*

3.

Arguet mundum de iudicio. Joan. 16.

Mirum est, cum omnes homines à severissimo illo divino Iudice se olim iudicandos sciant de peccatis non aliorum sed suis propriis, esse tamen multos, qui se ipsos examinare, dispicere, iudicare negligant, & studio perverso alios potius

tius temere judicare consuescant. Severè olim Deus mundum de judicio arguet; inspiciamus ergo judicii temerarii malitiam, ut à temere judicando absterreamur. *Mense III. Disc. 76. pag. 319. ad num. 8.*

4.

Arguet mundum de judicio. Joan. 16.

Non frustra monuit nos Christus: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Luc. 6. v. 37. Sciens imprimis, quàm prona esset hominum natura ad judicandos alios, deinde quàm severè judicandi olim essent à Deo, qui se iudices hominum constituerent. Pronitas illa tollatur, evellendo radices ejus: judicii severitas evitabitur, si citò manum ad evellendas radices admoveamus, ne crescant in damnum nostrum. *Mense III. Disc. 76. pag. 331. à num. 8. ad finem.*

5.

Arguet mundum de judicio. Joan. 16.

Miratus est pridem Dominus, se justitias judicaturum. Si judicabit, etiam vindicabit. Quisquis ergo justitiæ administer, dum vindicare & animadvertere in reos vult, attendat necesse est, ut justitiam vindicativam exerceat zelo bono, non aliqua præventus passione. *Mense IX. Disc. 272. pag. 455.*

DOMI-

DOMINICA V.
P O S T P A S C H A,

1.

Petite, & accipietis. Joan. 16.

Innumera quidem beneficia Deus nobis, etiam non rogantibus, præstitit, dum creavit, redemit, ad Ecclesiam suam vocavit, à multis periculis liberavit &c. Verùm dum particularia volumus, obsecrari vult, atque ideò jubet: *Petite, & accipietis.* Parendum huic monito, dum temporalia bona desideramus. *Mense II. Disc. 45. pag. 233. usque ad num 5.*

2.

Petite, & accipietis. Joan. 16.

Dum publicæ supplicationes instituuntur, plerique obtinere temporalia bona nituntur, quæ tamen omnia cum vita quondam amittimus. Petenda sunt illa, non abnuo: sed multo ferventiùs postulanda sunt spiritualia, quæ nobis prosint in æternitate. *Mense II. Disc. 45. pag. 242. à num. 5. ad finem.*

3.

*Usque modò non petiistis quidquam,
Joan. 16.*

Negari non potest, nullum hominem esse tam impium, ut nullam omnino orationem faciat:
verum-

verumtamen plurimi, qui orare possent, se ab oratione excusant propter negotiorum multitudinem. Verùm hæc excusatio meritò refutatur *Mense II. Disc. 47. pag. 283. à num. 6. ad fin.*

4.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Joan. 16.

In nomine JESU petenda sunt à Deo, quæ petimus; talia nimirum, quæ ad nostram salutem pertinent, certè obtinentur: aliorum incerta est impetratio, nisi eadem propter salutem petantur. *Mense II. Disc. 48. pag. 291. usque ad num. 6.*

5.

Dabit vobis, Joan. 16.

Vobis dabit, qui pro vobis ipsis orâstis; illa enim certior est impetratio, quando ipse pro te oras. Unde errant illi, si certum effectum sperant, dum alios pro se oraturos constituunt. Monetur igitur quilibet, ut ipse publicis precibus intersit &c. *Mense II. Disc. 49. à num. 4. ad finem.*

FERIA II.

R O G A T I O N U M,

1.

Omnis enim, qui petit, accipit. Luc.
II. v. 10.

Ad obtinendum orationis effectum parùm
valent merita nostra, sed omnis illius vis est
in meritis JESU Christi. Ideo *omnis*, nemine
prorsus excepto, qui rectè & in Domino *pe-*
tit, accipit. *Mense II. Disc. 46. pag. 252.*

2.

Pater vester de celo dabit Spiritum bonum
petentibus se. Luc. II. v. 13.

Varia sunt Orationis impedimenta, & ma-
ximum quidem est mortale peccatum in anima
residens. Hoc removendum est per poeni-
tentiam & humilem deprecationem. *Mense*
II. Disc. 47. pag. 268. usque ad num. 4.

3.

Dabit Spiritum bonum petentibus se. Luc.
II. v. 13.

Gravissimi Peccatores non debent ab ora-
tione

CONCIONATORIUS. III

tionem deterreri: multò minùs homines timorati propter occurrentes in oratione tentationes deterreri se patiantur. *Mense II. Disc. 47. pag. 276. à num. 4. usque ad 6.*

4.

Omnis enim, qui petit, accipit, Luc. II. v. 10.

Tertia conditio ad bonam orationem requisita est, ut fiat *piè*. Petis quidem pro te: petis necessaria ad salutem: at nisi eadem cum devotione interiori & exteriori petas, difficulter impetrabis. Orandum est ergò devotè. *Mense II. Disc. 48. pag. 302. à num. 6. ad finem.*

5.

Propter improbitatem ejus surget, Luc. II. v. 8.

Non debemus credere, precibus istis, quas triduo Rogationum fundimus, rem omnem jam esse confectam, Deumque obligari ad tribuenda nobis, quæ petivimus: perseverare in oratione debemus. *Mense II. Disc. 49. pag. 310. usque ad num. 4.*

IN

IN FESTO
ASCENSIONIS
D. N. J. C.

1.

*Assumptus est in caelum, & sedet à dextris
Dei, Marc. 16.*

De gloriosa Ascensione Domini. Mense XII.
Disc. 359. pag. 412. usque ad num. 8. Qua via e-
undum sit ad caelum.

2.

Sedet à dextris Dei. Marc. 16.

Quàm gloriosus sit eorum terminus, qui
Christi sequuntur vestigia. Mense XII. Disc. 359.
pag. 421. à num. 8. usque ad num. 12.

3.

*Exprobravit incredulitatem eorum, & du-
ritiam cordis, Marc. 16.*

Etiam nos olim reprehendemur, nisi strenuè
laboremus Christum ad caelos sequi: sic enim ve-
niet ad iudicium, sicut ascendit in caelum.
Mense XII. Disc. 359. pag. 427. à num. 12. ad
finem.

4.

4.

*Assumptus est in cælum, & sedet à dextris
Dei. Marc. 16.*

Quibus verò virtutibus ascendit in cælum
Christus, nisi patientia & humilitate? nec enim
potuisset pati, nisi humiliasset se: *Humiliavit se-
metipsum, formam servi accipiens.* Hanc virtutem
quia Lucifer nesciit, quia Simon Magus ignora-
vit, ille de cælo, hic de aëre cecidit; & simili-
ter casurus est Anti-Christus. Discamus fu-
gere superbiam, quæ virtutum omnium, qui-
bus ad cælum evehi possumus, venenum est;
omnibus enim virtutibus insidiatur illa: omnes
destruit: & tamen ex omnibus suum splendorem
quærit. *Mense V. Disc. 150. pag. 583.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

1.

*Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam
vobis à Patre. Joan. 15.*

Jam promittit nobis hodie Christus adventum
Spiritus Sancti: ut venientem dignè excipia-
mus, præparanda sunt corda. *Mense XII. Disc.
360. pag. 449. num. II. ad finem.*

R. P. Calini, S. J. Index.

h

2.

2.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Joan. 15.

Apparuerat JESUS jam sæpius discipulis suis, ut eos de resurrectione sua suoque in illos amore certos redderet: ascenderat videntibus illis in cælum: promiserat Spiritum Sanctum proxime venturum. Tamen, ne nimia securitate deciperentur, prædicat eis tribulationes sustinendas. Ita omnino vult Deus, ut licet peccatis expurgati & in gratiam ejus recepti simus, tamen sollicitè in recordatione peccatorum jam remissorum alimbulemus: hæc enim recordatio nos ad continuandam poenitentiam excitat. *Mense II. Disc. 35. à num. 6. ad finem.*

3.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo. Joan. 15.

Eousque progreditur humanæ mentis cæcitas, ut quandoque non solum res optimas vertat interpreteturque in malum, sed etiam pessimas pallio quodam virtutis regat atque defendat. Sic Paulus S. Stephani vestimenta, cum ille lapidaretur, custodiens, zelo religionis se id agere arbitratur. Verum ut erravit ille, ita decipiuntur plurimi, perperam de rebus judicando. Itaque, si rem bene consideremus, sunt equidem judicia hominum quandoque attendenda,

sed

CONCIONATORIUS. 115

sed prudenter: verum etiam contemnenda, sed generose, ne respectus humanus nos a via iustitiae retrahat. *Mense III. Disc. 77. pag. 343. ad num. 7.*

4.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Joan. 15.

Quam audaces sunt homines ad iudicandos alios, tam timidi sunt ad sustinenda aliorum de se iudicia. Levis sæpe aliorum risus, vel irrisionis suspicio, metus incommodi, aut perdendæ amicitiae scandalizat & a bono repellit animos infirmos. *Mihi autem pro minimo est, ait S. Paulus, ut a vobis iudicer &c. mihi enim mihi conscius sum,* Generose igitur, omni respectu seposito, negliges iudicia hominum, quando te rectè agere sine ullius iusta offensione cognosces. *Mense III. Disc. 77. pag. 353. à num. 7. ad fin.*

DOMINICA PENTECOSTES.

I.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joan. 14.

Multitudo gratiarum, quas Spiritus Sanctus effudit in discipulos, & adhuc effundit in fideles. *Mense XII. Disc. 360. pag. 432. usque ad num. 11.*

h 2

2.

2.
Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14.

Nihil ad æternam salutem profunt virtutes humanis vel viribus acquisitæ, vel à natura & indole acceptæ, nisi amore Dei alióve supernaturali motivo exercentur. Miramur in Alexandro fortitudinem, in Lucretia castitatem, in Platone Sapientiam, in aliis virtutes alias: & tamen ad salutem æternam proderant nihil. Diligere Deum oportet, ut veri mandatorum Christi executores simus. Invocemus igitur Spiritum Sanctum, ut capiamus, quid sit virtus Christiana. *Mense VII. Disc. 183. pag. 1.*

3.
Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14.

Nemo est, qui non profiteatur se diligere Deum, tametsi peccator sit, Deumque multoties offendat. Alii arbitrantur se exercere virtutes quasdam amore Dei, sed ambigunt, quamnam virtutem maximè ab illis Deus cupiat exerceri. Responderi melius non potest, quam illam, quæ te proximè & expeditissimè ducit ad Deum, quæque necessaria planè est ad æternam salutem tuam consequendam. *Mense VII. Disc. 186. pag. 56. ad num. 5.*

4.
Non quomodo mundus dat, ego do vobis,
Joan. 14.

Aliam pacem Deus dat, aliam mundus. Pax Dei passiones nostras & pravas affectiones reprimat, ne prædominentur rationi, & animæ vim inferant: mundus verò pacem & quietem esse arbitratur, si, quidquid sensus nostri ac passiones appetunt, eis indulgeatur, unde anima in servitutem redigitur & miserrimè perturbatur. Contrà hortatur Christus: *Non turbetur cor vestrum.* Caveamus ergo, ne ullam in nobis passionem prædominari patiamur, & prædominantem omni studio opprimere laboremus. Talis enim affectio in periculum æternæ damnationis nos conjicit. *Mense III. Disc. 81. pag. 428. ad num. 7.*

5.
Pacem meam do vobis. Joan. 14.

Spiritu Sancto illabente justorum pectora ad ardentiorum Dei amorem accenduntur, injustorum verò animi ad pœnitentiæ agendæ desiderium commoventur. Et quis non moveatur? licet enim delictorum confessio videatur difficilis, divina tamen consolatione abunde compensatur (*pacem meam do vobis*) & conscientiæ suavissima tranquillitate. *Mense III. Disc. 87. pag. 550. ad num. 6.*

FERIA II.
PENTECOSTES.

1.

*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum
unigenitum daret. Joan. 3.*

Cum Christo donavit nobis omnia, & quæ
super omnia est, donum gratiæ suæ, quam suo
nobis sanguine Christus emit. Gratia divina
omnibus Dei donis sublimior. *Mense VII. Disc.
207. pag. 469.*

2.

*Ut manifestentur opera ejus, quia in Deo
sunt facta. Joan. 3.*

In Deo fieri debet, quidquid à Deo præmiari
desideras; ipse enim testatus est, sibi fieri, quod
egenti fit: sitivi, & dedistis mihi bibere; nu-
dus fui, & cooperuistis me &c. Nihil, dum
bene agis, dandum est gloriæ tuæ, utilitative
temporali, vel commoditati tuæ; omnia Deo.
Hæc demum est virtus Christiana & meritoria,
ac unicè tibi necessaria, ut animæ quietem ser-
ves, peccata devites, mercedem æternam ac-
quiras. *Mense VII. Disc. 184. pag. 17.*

3.

3.
Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Joan. 3.

Plurimi errant in selectu virtutum, dum vel eligunt eas, quæ majorem sibi splendorem & nomen concilient; vel eas, quæ minori sibi labore constant; vel eas, quæ celandis vitiis suis sint opportuniore &c. Verùm, redactis semel in usum ac consuetudinem virtutibus ad salutem absolutè necessariis, inter ceteras primum eas elige, quæ naturam ac indolem, & statûs tui conditionem maximè ornet: deinde quæ maximè repugnant vitio, cui obnoxius olim esse consuevisti. *Mense VII. Disc. 186. pag. 66. à n. 5. ad fin.*

4.
Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Joan. 3.

Omnis ruinæ inter homines præcipua causa est, quòd S. Spiritûs lucem admittere nolint, sed potiùs passionum suarum ductum sequantur: inde excæcati in foveam æternæ damnationis cadunt. Ne nobis idem contingat, bene attendere & scrutari debemus, quænam in nobis passio præ cæteris dominetur, & contra eam singulari studio pugnare. *Mense III. Disc. 81. pag. 439. à num. 7. ad fin.*

Non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Joan. 3.

Hic plurimorum gravissimus error est, ut

stulte metuant accedentes ad confessionem, nec proferre in lucem peccata sua velint, ne reprehendantur. Omnia contraria sperare debent; nam qui peccata sua soli Confessario aperit, eo ipso non venit in hominum notitiam, sed in universalis illo iudicio securus est: *Qui credit, non iudicatur.* Et tamen venit ad lucem, quia non solum ipsius poenitentis conscientia illustratur, sed etiam fama apud Confessarium augetur, qui summam inde consolatione propter peccatoris candorem & conversionem impletur. *Mense III. Disc. 87. pag. 561. à num. 6. ad num. 13.*

FERIA III.

PENTECOSTES.

Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur. Joan. 10.

Gratia Dei ideo mirabilior & pretiosior, quia prorsus gratuita est; ingressi enim per Christum in Ecclesiam sumus, priusquam de Christo quidquam intelligeremus. Tanto magis à nobis æstimanda & diligentius conservanda est. *Mense VII. Disc. 208. pag. 485.*

2.

Per me si quis introierit, salvabitur. Jo. 10.

Equidem Christianæ virtutes videntur arduæ ac difficiles, dum hinc amorem inordinatum, vanam gloriam, privatam utilitatem videntur excludere; inde corpus & animum fatigare. Verùm fallitur, qui sic opinatur; nam earum non vulgaris, imo summa utilitas est, cum sint bonum multò jucundius ac dulcius, quàm omnia mundi totius bona. *Mense VII. Disc. 185. pag. 35. usque ad num. 7.*

3.

*Per me si quis introierit, salvabitur.
Joan. 10.*

Sicut non omnis fert omnia tellus, ita non omnes quælibet terræ bona possunt obtinere: aliqua summis præclusa sunt, alia infimis, &c. At non tale bonum sunt virtutes Christianæ; talis enim earum thesaurus est, ut omnibus tam summis, quàm infimis pateat: ut illius unius sit, qui illum occupat: ut auferri à nemine possit: ut afferat etiam summum bonum, æternam felicitatem. *Mense VII. Disc. 185. pag. 46. à num. 7. ad finem.*

4.

Et pascua inveniet. Joan. 10.

Saluberrimè S. Ecclesia instituit jejuniorum observantiam; nam per eam castigatur corpus & indomitæ passiones nostræ refrænantur: pro

h s

parva

parva insuper abſtinentia cœleſtes deliciae promittuntur: *Et pascua inveniet; sicut & David cecinit: DOMINUS regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.* Psal. 22. Postquam igitur exactâ jam pridem Quadragesima septem refectionis hebdomadas nobis pia mater Ecclesia indulſit, libenter denuo amplectamur præscripta jejunia; est enim præceptum hoc perquam tolerabile. *Mense V. Disc. 124. pag. 39.*

5.

Ille fur est, & latro. Joan. 10.

Qui non intrat per ostium sinceræ confessionis, non intrabit in gratiam Dei, sed cum furibus & latronibus tenebras amantibus condemnabitur. Si peccata tua silendo effugias notitiam Sacerdotis, non effugies tamen iudicium Dei, qui corda scrutatur & renes. *Mense III. Disc. 87. pag. 571. à num. 13. ad fin.*

DOMINICA SS. TRINITATIS.

I.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. 19.

De

De Myfterio SS. Trinitatis. *Mense X. Disc.*
275. pag. 1. usque ad num. 7.

2.

*Docentes eos servare omnia, quaecunque man-
davi vobis, Matth. 28. 20.*

Adorandam esse SS. Trinitatem, omnes sci-
mus: ut illud perfectè possemus, dedit Deus
homini trinitatem in anima, intellectum, vo-
luntatem, memoriam, quibus potentiis ad e-
jus cultum uteremur, & aliam perversam tri-
nitem reprimeremus, quæ ex peccato nasci-
tur, concupiscentiam bonorum temporalium,
voluptatum, & honorum; hæc trinitas nisi vin-
catur, à Dei mandatis nos revocat, & ab a-
spectu æternæ illius ac SS. Trinitatis excludit.
*Mense X. Disc. 275. pag. 16. à num. 7. usque ad
finem.*

3.

*Baptizantes eos in nomine Patris, & Fi-
lii, & Spiritûs Sancti, Matth. 28.*

Quàm utilis ac obtentu facilis sit Baptif-
mus, & quid à Christiano exigatur, ut ei Sa-
cramentum hoc sit ad salutem. *Mense XII.
Disc. 358. pag. 394.*

4.

4.

Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra, Matth. 28.

Summus Deus, & supremus omnium rerum ac noster Dominus omni jure à nobis exigit omnem adorationem, cultum, & honorem. Quibus eum ceremoniis ac obsequiis colere debeamus, virtus Religionis nos docet. Discamus ergo ferventer obire, quæ ad religionem ac Dei cultum pertinent, & contraria huic virtuti vitia studiosè devitare. *Mense II. Disc. 50. pag. 325.*

FESTO S. CORPORIS CHRISTI.

I.

Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. v. 1.

Potentia suæ maximum miraculum Christus patravit, ut suam in mortale genus charitatem ostenderet. *Mense XI. Disc. 310. pag. 80. à num. 7. ad finem.*

2.

Hic est panis, qui de caelo descendit. Joan. 6.

Mira

Mira dignatio Redemptoris, in solatium nostrum de cœlo descendens: traxit illum amor ad nos; cur non illius amor nos ad ipsum frequenter visitandum trahat? *Mense II. Disc. 52. pag. 358. usque ad num. 6.*

3.

*Hic est panis, qui de cœlo descendit.
Joan. 6.*

Consideratis maximis beneficiis, quæ nobis Christus per SS. Sacramenti institutionem perpetuamque in templis præsentiam confert, gratitudo & propria utilitas trahere nos debet ad eum in Altari frequenter invisendum. *Mense II. Disc. 52. pag. 367. à num. 6. ad finem.*

4.

*Hic est panis, qui de cœlo descendit.
Joan. 6.*

Amore humani generis Christus descendit in terras, factus homo, natus in præsepio, mortuus in cruce: profundius etiam se demisit, dum humanitatem & divinitatem suam sub parvis panis speciebus nobis in solatium & cibum reliquit. Quid rependemus huic amori, nisi devotissimè eum adoremus & quibus possumus obsequiis prosequamur? Optima devotio est,

san-

sanctè comitari Processiones, ex quibus illi gloria, nobis utilitas maxima nascitur. *Mense II. Disc. 53. pag. 375.*

DOMINICA I N F R A O C T A V A M C O R P O R I S C H R I S T I.

1.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc.

14 v. 16.

Christus Corpus & Sanguinem suum in spirituale convivium & sacrificium nobis donavit. De excellentia hujus sacrificii agitur *Mense II. Disc. 51. pag. 339. usque ad num. 7.*

2.

Vocavit multos. Luc. 14. v. 16.

Ut Deus plures invitaret ad frequentandum Missæ sacrificium, multis ostendit signis, quàm gratum id sibi, & jucundum sit. *Mense II. Disc. 51. pag. 351. à num. 7. usque ad finem.*

3.

Vocavit multos. Luc. 14.

Non omnes solùm homines Christus ad convivium suum invitavit, sed cuilibet etiam, quotiescunque placuerit, frequentandum offert: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ergo reficiam vos toties, quoties necessitas vestra postulabit,*

præ-

præcipuè cùm anima solatio & auxilio indigebit.
Mense XI. Disc. 312. pag. III. usque ad num. 6.

4.

*Quia jam parata sunt omnia, Et cape-
 runt simul omnes excusare. Luc. 14.*

Christus in epulo Eucharistico omnia nobis paravit, non animæ solùm, sed & corpori ac fortunis servandis utilia; quare causas habemus sufficientes ad frequentandum SS. Sacramenti usum, neque meritò quispiam sese poterit excusare. *Mense XI. Disc. 312. pag. 120. à num. 6. ad finem.*

DOMINICA III.
 POST PENTECOSTEN.

*Erant appropinquantes ad Jesum publi-
 cani & peccatores. Luc. 15.*

Rectissimè fecerunt isti, dum ad Jesum fugerunt, ad quos dicere potuisset cum Baptista: *Genimina viperarum! quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Luc. 3. 7.* Summum enim Dei odium est in peccatum: bene ergo peccator ad Jesum mediatorem se recipit. *Mense I. Disc. 19. pag. 277. usque ad num. 11.*

2.

*Congratulamini mihi, quia inveni ovem
meam. Luc. 15.*

Dum Salvator noster suum in peccatores amorem explicat, similitudine amissæ ovis & drachmæ utitur, tacitè que eos laudat, qui sollicitè res sibi charas requisiverunt. Tametsi perfectorum est, cujuslibet rei externæ jacturam patienter ferre, non tamen Deus omnium rerum creatarum amorem nobis prohibet, dummodo sit amor sanctus, non imperfectus aut peccaminosus. *Mense I. Disc. 10. pag. 127.*

3.

Hic peccatores recipit. Luc. 15.

Verè diabolica fuit Pharisæorum invidia; nam sicut diabolus peccatorem sese humiliantem ferre non potest, quia ipse se coram Deo humiliare non vult; ita Pharisæi Dominum reprehendunt, quòd peccatores recipiat, quos ipsi pro sua superbia refugiebant, ac dedignabantur. Invidebant ergò, quia major turba sequebatur Christum, licet ipsi hoc genus hominum despicerent: verumtamen sibi decedere aliquid putabant, atque ita semetipsos livore excruciant. Non ergo ineptè dictum est, *invidiam sui metipsum carnifera esse*; quàm maximè enim repugnat amori, quem homo sibi metipsum debet. *Mense VI. Disc. 181. pag. 518. usque ad num. 7.*

4.

4.

Murmurabant Pharisei & Scribæ. Luc. 15.

Tanta est invidiæ pestis, ut, in cujus corde invaluerit, non contineri se patiat, ut noceat sibi soli; sed etiam foras prorumpat, aliósque veneno suo inficiat. Aliàs loquebantur illi intra semetipsos contra Dominum, qui vidit cogitationes eorum: nunc jam prædominante invidia Pharisei scribas, Scribæ Pharisæos alloquuntur, & palam murmurant. Vide, quàm pestiferum sit invidiæ vitium, quod charitatem proximi tam enormiter violat. *Mense VI. Disc. 181. pag. 528. à num. 7. ad finem.*

5.

*Gaudium erit in coelo super uno peccatore
penitentiam agente. Luc. 15.*

Hodiernæ parabolæ pluribus aliis suffulciuntur, ut alliciatur peccator ad seriam conversionem, & per fervidam orationem obtineat perseverantiam. *Mense X. Disc. 303. pag. 535.*

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

1.

Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5.

R. P. Calini, S. J. Index.

i

Mira

Mira fuit Petri humilitas, propter peccatorum suorum memoriam ad Christi præsentiam & miraculum expavescentis: sicut mulier illa Sareptana 3. Reg. 17. v. 18. filii sui mortem peccatis suis imputavit, quòd ipsa recepisset Eliam, peccatrix virum sanctum: *Quid mihi & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Si sancti sic expavescent, quid faciant peccatores, cùm Deus tanto in peccatum odio feratur? *Mense I. Disc. 19. pag. 289. à num. II. ad fin.*

2.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus,
Luc. 5.

Deus creatas res omnes condidit ad hominum salutem, dummodo illis ad salutem uti velimus: secus facientes, utut sollicitè circa rerum acquisitionem retentionemque laboremus, nihil capimus æternæ mercedis. Stultus ergo est, qui amore imperfecto res terrenas diligit; non enim tanto amore dignæ sunt, nec tanto labore. *Mense I. Disc. II. pag. 139. usque ad num. 5.*

3.

Sedens docebat de navicula turbas,
Luc. 5.

Jam alibi Christus Phariseorum ambitionem reprehendit, quòd ambient primas cathedras
in

in Synagogis, primos accubitus in mensis, a-
ment vocari Rabbi &c. Eorum nunc ambitio-
nem suo confundit exemplo. Ipse divinus
magister in humili navicula docens sedet, &
populum, altiùs doctore, stantem in ripa.
Discamus omnem ambitionem fugere, utpote
quæ damnabilis est ex proposito suo, mediis,
fine, & modo obtinendi finem suum. *Mense*
VI. Disc. 153. pag 1.

4.
Duc in altum. Luc. 5.

Equidem ipse Christus nos docuit in altum
ducere, terrena despiciere, cœlestia quærere:
verùm ex adverso clamat dæmon: *duc in altum!*
suadet homini humanos favores & honores
expetere. Ne nos ambitio decipiat, videamus,
quantis illa nos tædiis oneret, in quæ
pericula trahat, quibus suppliciis jam in vita
obnoxios faciat. *Duc in altum:* scire vis artem
veram in altum veniendi? qui se humiliat, ex-
altabitur. *Mense VI. Disc. 154. pag. 20.*

5.
Per totam noctem laborantes nihil cepimus.
Luc. 5.

Noctem densissimam offundit hominum o-
culis amor divitiarum & voluptatum: toti
sunt in eo, ut corradant opes, & transigant
in bonis dies suos: denique ubi mors supervē-
nerit, nihil se profecisse vident, imò pluri-
mum

mum sibi nocuisse. Explicatur hæc cæcitas
per duas parabolas. *Mense X. Disc. 301. pag.*
501.

DOMINICA V, POST PENTECOSTEN.

1.

Non intrabitis in regnum cælorum. Matth.
5. v. 20.

Horrenda est hæc Christi comminatio; non enim pœna major inveniri potest, quàm amissio cœli & Dei. Verùm meritò tantæ minæ in peccatum vibrantur, cùm Deo maximam injuriam inferat. *Mense I. Disc. 20. pag. 297. usque ad num. 9.*

2.

Nisi abundaverit justitia vestra plus, quàm
Scribarum & Phariseorum, non in-
trabitis in regnum cælorum. Matth. 5.

In faciem populi accuratam legum & ceremoniarum observantiam præferebant Pharisei, sed simul plurima sibi indulgebant: vanam gloriam captabant, primos accubitus appetebant, contenti non occidere vindictæ cupidinem non abiciebant &c. Hypocrisis erat omnis eorum justitia, dum foris rigorem præfetulit, intus genio indulgit. Ad similem hypocrisin delabi potest, qui creaturarum amori
nimi-

nimiùm se tradit : hoc enim sincera devotio perditur, gravium peccatorum discrimen incurritur. *Mense I. Disc. II. pag. 149. à num. 5. ad finem.*

3.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. 5.

Graves in iram sententias vibrat Salvator, quia, licet sit inclinatio & affectio quædam naturalis, in multa peccata hominem præcipitare potest. Jubet ipse Deus : *Irascimini & nolite peccare*, quo indicat laudabilem quandoque iracundiam esse: verumtamen periculosa semper est, & ideò diligenter refrænanda. *Mense VI. Disc. 162. pag. 166.*

4.

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. 5.

Bene monuit S. Paulus : *Si nosmetipsos dijudicemus, non utique judicemur.* Cùm ergo irascentem fratri suo reum iudicio pronuntiet Salvator, præveniamus, & iracundiam nostram bene dijudicemus; an verò laude vel reprehensione digna sit, agnoscemus ex causis, operationibus, & moderatione. *Mense VI. Disc. 163. pag. 182.*

5.

*Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit
judicio, Matth. 5.*

Accuratè olim examinabitur omnis iracundia, cùm non omnis sit justa. *Irascimini, & nolite peccare.* Variè verò ira in peccatum inducit, sive causas illius consideres, sive operationes, sive moderationem. Semper ergo affectus iræ esse suspectus debet. *Mense VI. Disc. 164. pag. 201.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I.

Misereor supur turbam. Marc. 8.

Admiremur clementiam Salvatoris; non coegerat plebem, ut ipsum sequeretur; sponte sequebatur ad audiendam doctrinam, & gratiæ loco habebat, quòd percipere Christi verba posset. Ipse potiùs à plebe petere mercedem potuisset pro perpetua prædicatione. At ecce! Christus ultrò quatuor hominum millia pascebat, quantas ei debebant gratias? Nónne ingratißimum dixisses, si quis eorum insurrexisset, & pro beneficio injuriam intulisset? Id facit peccator, dum offendit Deum, & ex offendentis persona crescit injuria. *Mense I. Disc. 20. pag. 308. à num. 9. ad finem.*

2.

2.

*Misereor super turbam, quia ecce jam tri-
duo sustinent me. Marc. 8.*

Ut Christus turbæ misertus miraculosè mul-
tiplicaret annonam, causa fuit hominum pati-
entia ac fervor. Christum audiendi. Ita sentit
S. Ambrosius Lib. 6. in Luc. c. 9. *Gratiæ cele-
stis impartitur alimentum, sed quibus impartitur,
adverte. Non otiosis, non in civitate, quasi in
Synagoga vel sæculi dignitate refraentibus, sed in-
ter deserta quærentibus Christum.* Væ igitur illis,
qui creaturarum amorem amoris Dei præpo-
nunt; nam pro hac injuria Deo illata ab æter-
no illo cæli convivio excludentur. De amore
creaturæ supra Deum. *Mense I. Disc. 12. pag.
158.*

3.

*Unde illos quis poterit hic saturare pani-
bus? Marc. 8.*

Frustranea planè fuit Apostolorum sollici-
tudo, qua impossibile credebant tantam homi-
num turbam saturari panibus, cum tamen
Christum, cui omnia possibilia sunt, apud se
haberent. Simili pallio avari cupiditatem su-
am excusare & colorare nituntur; ajunt enim
non amore auri, sed ex providentia in eventu-
ras necessitates se nummos corradere: verùm

i 4

hoc

hoc ipso multis sese peccatis & majori longè
miseriæ involvunt. *Mense V. Disc. 139. pag. 363.*

4.

Unde illos quis poterit hic saturare ?

Marc. 8.

Vana est omnis hominum cura, nisi fiduciam omnem in divina providentia ponant, nec in studio suo necessitatibus providendi solas suas vires metiantur. Frustra se avarus excusat, quòd liberorum suorum necessitati velit providere, vel opes colligere ad magnum aliquod negotium perficiendum: hæc omnia in manu solius Dei sunt, adeoque cupiditas nostra moderanda, & major curarum pars in illum transmittenda est. *Mense V. Disc. 140. pag. 38.*

5.

Jam triduo sustinent me. Marc. 8.

Nec mira fuit istorum patientia, cum audirent Christi doctrinam suavissimam, morumque amabilitatem viderent. Sed tamen ille eorum misertus est: *Misereor super turbam.* Quid de illis futurum est, qui alienam patientiam abutuntur, proximisque licet patientes ad iram provocant? Ansam præbere iracundiæ semper peccatum est, inutile est, periculosum est. *Mense VI. Disc. 169. pag. 274.*

DOMI

DOMINICA VII.
POST PENTECOSTEN.

1.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris. Matth. 7.

Hisce S. Evangelii verbis manifestè ostendit Christus, non eum esse verum Dei servum, qui ore tantum ac labiis honorat Dominum, de executione verò mandatorum ejus sollicitus non est; sed implentem præcepta. Cur autem non ex toto corde serviamus Deo? Dominus enim noster est, & omni jure servitium à nobis exigit. *Mense I. Disc. 7. pag. 85.*

2.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7.

Inter creaturas nocentissimas sunt libri impuri, & imagines incastæ: sub suavi eloquio propinant venenum: veniunt in vestimentis ovium, & intrinsecus sunt lupi rapaces. His legendis qui vacat, non meretur singularia divinæ gratiæ auxilia, & ipsam habitualementiam non diu conservabit. *Mense I. Disc. 14. pag. 193. usque ad num. 7.*

i 5

3.

3.

*Veniunt ad vos in vestimentis ovium,
Matth. 7.*

Scriptum quidem est: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Verùm non omni consilio aut doctrinæ facillè credendum aut fidentium. Cùm enim sint, qui malis consiliis & doctrinis alios pervertere moliantur, facillè incautos decipiunt, sed ipsi gravissimo se peccato obstringunt. *Mense IV. Disc. 97. pag. 83. usque ad num. 5.*

4.

*Intrinssecus autem sunt lupi rapaces,
Matth. 7.*

Antiquum proverbium est: *fide, sed cui fidas, vide.* Cave, ne facillè cujuscunque doctrinæ aut consilio acquiescas: sunt enim, qui rapacium luporum similes importunitate impellunt alios ad peccandum, difficillimè ad frugem redituros. *Mense IV. Disc. 97. pag. 91. à num. 5. ad finem.*

5.

*Non omnis, qui dicit mihi: Domine,
Domine, intrabis in regnum celorum,
Matth. 7.*

Salutaris omnino, & necessaria est divini nominis invocatio. At verò si nomen Domini assu-

assumatur in vanum, gravissimè peccatur, præsertim si per juramentum inutile vel falsum divina veritas in testimonium advocetur. Sunt certæ juramenti justæ conditiones: hæ nisi observentur, enormis Deo injuria fit, unde merito ad infligendas tam in hac, quàm altera vita pœnas impellitur. *Mense II. Disc. 43. pag. 184.*

DOMINICA VIII.
POST PENTECOSTEN.

I.

Quid faciam, quia Dominus meus auferre à me villicationem? Luc. 16.

Magna est hujus villici infelicitas amissâ villicatione; nam aut inter vulgares operas sudare & laborare, aut inter mendicabula stipem corrogare cogitur; calamitatis hujus causa est dissipatio bonorum Domini sui. Major erit tua infelicitas, O peccator, quamprimùm per mortale peccatum gratiam Dei perdidideris; nam cum illa amittes omnem animæ pulchritudinem, & omnes spirituales divitias. *Mense I. Disc. 21. pag. 315. usque ad num. 8.*

2.

Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16.

Non immeritò Dominus iste à Villico rationem expetiit, utpote dissipante bona ipsius: pari modò misericordiam non meretur, qui
crea-

creaturis ad injuriam Creatoris abutens impuris libris aut imaginibus delectatur, & semel amissam non facile recuperabit. *Mense I. Disc. 14. pag. 212. à num. 7. ad finem.*

3.

Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. 16.

Rectè officio suo motus est hic villicus; non enim falsò fuit infamatus, cum ipsemet reum se agnoscens non cogitaverit de se defendendo vel bene ordinandis ratiociniis, sed jam desperans solummodo cogitavit, quomodo sibi post depositionem amicos faceret. Verè damnabile vitium est prodigalitas, sive illius causas consideres, sive pessimos fructus, quos producit. *Mense V. Disc. 145. pag. 486.*

4.

Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. 16.

Itaque miser iste villicus à Domino suo convictus rationem reddere non potuit, loco moveri, exilium quærere debuit. Quæ verò causa, nisi vana pompa & vitæ luxus? immemor officii sui uxorem, liberos, seipsum splendide vestiebat, magnificè epulabatur, atque ita & justam mercedem suam & domini bona decoxit. Ea nempe vani luxus est indoles, ut opes exhauriat, famam denigret, ani-

CONCIONATORIUS. 141

animam quoque gravibus ruinis involvat.
Mense VI. Disc. 159. pag. 116.

5.
Facite vobis amicos. Luc. 16.

Totum hoc Evangelium docet invocandos esse Sanctos : videbis , quantopere DEO placeat, nos in ærumnis ad Sanctos confugere : quid agendum tibi ad impetrandum eorum patrocinium : quàm efficax sit eorum intercessio. *Mense X. Disc. 299. pag. 463.*

DOMINICA IX.
POST PENTECOSTEN.

1.
*Videns civitatem flevit super illam.
Luc. 19.*

Et quid mirum? Considerabat nempe præsentem urbis pulchritudinem, templi sanctitatem, ædificiorum majestatem, civium opulentiam &c. Contra verò intuebatur futuram illius ruinam & dissipationem. Verùm sub urbis hujus figura multò acerbius deflevit horrenda animæ damna ac miserias, quibus se per peccatum mortale involvit. *Mense I. Disc. 21. pag. 328. à num. 8. ad finem.*

2.
Erat docens quotidie in templo. Luc. 19.
Non

Non cuivis vacat singulis diebus in templo
audire verbum Dei. Verum si quivis Christia-
nus in gratia constitutus, teste S. Paulo, tem-
plum Dei est, quotidie docentem Dominum
audire potest, piam lectionem suscipiendo.
Hæc cum industria est obeunda. *Mense I. Disc.*
13. pag. 171. usque ad num. 5.

3.

Circumdabunt te inimici tui vallo. Luc. 19.

Inter cætera flagella, quibus Deus orbem
castigat, bellum est: gravis est fames, gra-
vior pestis; verum per utramque plurimi ad
pœnitentiam convolant, & cælum occupant:
bellum verò strages, incendia, prædationes
repentinas secum vehit, multasque animas in
periculum & ruinam trahit, ac manifestum
irati Dei signum est. *Mense IV. Disc. 117. pag.*
472.

4.

Circumdabunt te inimici tui vallo. Luc. 19.

Primus bellorum author est Deus, qui illa
nobis immittit in castigationem peccatorum.
Duces, & milites focii illius sunt & instrumen-
ta: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*
Qui igitur belli periculis liberari vult, pacem
cum Deo faciat. *Mense IV. Disc. 118. pag. 489.*
usque ad num. 9.

5.

Circumdabunt te inimici tui vallo. Luc. 19.

Summa hominis miseria est, habere inimi-
cum

eum Deum: summa infania est, contra illum pugnare, qui superari non potest, sed parata semper arma habet, quibus nos opprimat. Pacem igitur cum illo ineamus, atque ut illam à Deo facilius impetremus, mediatores adhibeamus Deiparam, & SS. Cælites. *Mense IV. Disc. 118. pag. 498. à num. 9. ad finem.*

DOMINICA X.
POST PENTECOSTEN.

I.

Non sum, sicut cæteri hominum. Luc. 18.

Non adeò mirandum est, quòd Pharisæus iste sic intumuerit propter quascunque justitias suas: peccatoris præsentia eum inflavit: *Velut etiam hic Publitanus.* Illud verò prorsus mirabile, quòd peccatores gaudere seque ipsos consolari soleant, quia non soli sunt, sed similes sui plurimos noverint peccatores. His eximendus est error: nam 1. verum non est, quòd cæteri omnes sint peccatores. 2. Si etiam verum esset, tu peccator esse non amplius deberes. *Mense I. Disc. 28. pag. 466.*

2.

2.

*Non sum , sicut ceteri hominum ,
Luc. 18.*

Qualem superbiam Pharisæus habuit in templo & conspectu Dei, sine dubio in cæteris actionibus habuit: omnia se prudentius, quàm cæteros, facere; omnia profundius, quam cæteros, penetrare se existimavit, præcipuè dum Legis Mosaicæ libros evolvit. Verum ut legas utiliter, necesse est, ut legas non superbè, sed humiliter. *Mense I. Disc. 13. pag. 180. à num. 5. ad finem.*

3.

*DEUS, gratias ago tibi, quia non sum ,
sicut ceteri hominum. Luc. 18.*

Intolerabilis est hæc jactantia coram Deo, quasi iste non profundius nosceret secreta cordis, quàm ipse homo. Gloriam suam, non gloriam Dei, quæsivit Publicanus iste: verum vehementer semetipsum fefellit, quia humilis Publicanus præ illo justificationem accepit. Discamus igitur vanæ gloriæ captationem detestari; nam illa inprimis magnò stat: difficilimè obtinetur: obtenta nihil prodest. *Mense VI. Disc. 156. pag. 59.*

4.

Jejuno bis in Sabbato. Luc. 18.
Utinam Christiani attenderent illud ethnici
Philo-

Philosophi effatum : *nosce te ipsum !* certè non ita temerè confiderent in quibuscunque meritis suis, sicut iste Pharisæus. Reprimamus, quæso, spurium humanæ gloriæ appetitum, considerando, quàm apud nos ipsos simus pauperes meritorum : quàm apud homines diversa sint de nobis judicia : quàm longè alia de nobis sint judicia Dei. *Mense VI. Disc. 157.*

pag. 77.

S.

Dixit JESUS ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam justi &c. parabolam istam, Luc. 8.

Tam frequenter JESUS parabolis involvebat doctrinam suam cælestem, ut Matthæus disertè dicat : *Sine Parabolis non loquebatur eis.* Eas autem sic adhibebat, ut singulis hominum conditionibus accommodaret, prout iis utile ad salutem judicabat. Consideremus hodie diversas diversis doctrinis plenas, & demum hodiernam *num. 7.* propositam, ut uno die videamus copiam amoris, qua nos JESUS tot utilibus ad salutem documentis instruxit, *Mense X. Disc. 304. pag. 550.*

DOMINICA XI.
POST PENTECOSTEN.

1.

Apprehendens eum de turba seorsum.
Marc. 7.

Multorum bonorum impedimentum est turba: Quoties inter homines fui, minor homo redii, agebat Seneca. Et Deus animæ locuturus inquit: Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus. Ose. 2. 14. Zachæus non poterat præ turba videre JESUM. Pharifæus nuper superbiit intuenso turbam cæterorum hominum. Peccatores audacius peccant, quia turbam peccantium & tamen in vita & mortē felicium se videre arbitrantur. Sevocandus est ergo à turba oculus eorum, & error geminus corrigendus. *Mense I. Disc. 29. pag. 480.*

2.

Bene omnia fecit. Marc. 7.

Sicut DEUS omnia ad nostram utilitatem condidit, ita nihil est, quod non in commodum nostrum vertere possimus. Multæ sunt creaturæ, ac vitæ hujus bona indifferentia: ea si ad salutem nostram applicemus, bene omnia faciemus, quia bona faciemus meliora, nec conscientiam gravabimus. *Mense I. Disc. 15. pag. 220. usque ad num. 5.*

3.

3.

Suspiciens in calum ingemuit. Marc. 7.

Christus homini muto loquelam restitutus videbatur gaudere potius debere, quàm ingemiscere; erat enim hominis linguam in Dei laudem soluturus. At ille ingemuit considerans pericula, quibus linguæ abusus hominem obnoxium facit, præsertim si ea abutatur ad alios in peccatum inducendos, vel per irrisionem à virtute abducendos, unde gravissima animarum ruina sequitur. *Mense IV. Disc. 98. pag. 100. usque ad num. 9.*

4.

Præcepit illis, ne cui dicerent. Marc. 7.

Christus, qui venerat in mundum, ut doceret homines modum inveniendæ salutis æternæ, utque eam confirmando miraculis crederetur Messias, sæpius tamen dæmonibus & hominibus silentium de sua potentia imperavit. Quàm alieni igitur à Christi doctrina sunt superbi illi, qui non solum alienas laudes non reprimunt, sed etiam, illis deficientibus, semetipsos jactant! Talis jactantia DEUM offendit, honorem apud homines perdit, in pericula magna præcipitat. *Mense VI. Disc. 158. pag. 99.*

k 2

5.

5.

Bene omnia fecit. Marc. 7.

Dum JESUS honorem ab hominibus semper meruit, & nunquam quæsit, Patris tamen æterni dispositione copiosum obtinuit; disce, honorem semper mereri, nunquam quærere; & tantum honoris à Deo accipies, quantum animæ tuæ proficuum fuerit. Honor fugientem sequitur, quærentem fugit. *Mense X. Disc. 298. pag. 444.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

1.

Quid faciendo vitam æternam possidebo?
Luc. 10.

Ut vanos honores, divitias, voluptates obtineant homines, maximo labore, plurimisque impendiis mundo ac dæmoni serviunt, vanissima illa cum tempore perdituri. Cur igitur nos Deo non strenuè promptèque serviamus pro vita æterna? Dignum est, alacriter servire Deo, qui pro mercede tam ampla petit tam modica ac facilia. *Mense I. Disc. 8. pag. 98.*

2.

2.

Quis est meus proximus. Luc. 10.

Quilibet ipse sibi proximus est ; hic enim ordo charitatis, ut, ubi de salute agitur, tuam prius, quàm proximi, cures: diliges proximum tuum, sicut te ipsum ; non plusquam te ipsum. Cur igitur te ipsum negligis ? Certè se ipsum negligit, imò perdit, qui creaturis aut nullo commodo utitur, aut iisdem ad peccandum abutitur. *Mense I. Disc. 15. pag. 232. à num. 5. ad finem.*

3.

Incidit in latrones. Luc. 10.

Totum mundum plenum laqueis vidit S. Antonius Abbas : & profecto ubique animæ nostræ struuntur insidiæ à seductoribus: imò dum seducti jam sumus, sunt qui adulando nos in malo confirmant, mala laudant, bona vituperant, ne omnino ad gratiæ vitam resurgamus. Tales latrones ut fugiamus, quàm grave eorum peccatum sit, videamus. *Mense IV. Disc. 98. pag. 112. à num. 9. ad finem: cui annecte Disc. 99. pag. 118. usque ad num. 5.*

4.

Et proximum tuam, sicut te ipsum.
Luc. 10.

Jucundum & gloriosum est diligere Deum, Dominum tam clementem & tam excelsum:

k 3

fa-

facile & utile est diligere proximum, hominem nempe nobis similem, & cujus auxilio aliquando indigere possimus: necessarium verò est præterea diligere semetipsum. Quisque maximè sibi proximus est, & Deus non iussit, alium diligere plusquam teipsum, sed sicut teipsum. Præcedit ergo amor erga nos ipsos: & hic debet esse ordinatus, ut amemus nos infra Deum, & supra omnes res creatas æternæ beatitudinis non capaces. *Mense VIII. Disc. 215. pag. 21.*

5.

Incidit in latrones, Luc. 10.

Quidquid voluerunt, in viatore fecerunt, non DEUM, non hominem, non infernum attendentes. Atque illos forte paupertas adigit. Quid verò de illis dicas, qui nullum ex rixa vel duello commodum sperare possunt, sed mala potius gravissima timere debent? Terreat nos peccati gravitas, & periculi magnitudo. *Mense VI. Disc. 172. pag. 335.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I.

Ostendite vos Sacerdotibus, Luc. 17.

Nemo miseratione dignos judicasset leprosos istos, si præscriptum sibi tam facile recuperandæ

CONCIONATORIUS. 151

dæ sanitatis remedium recusassent. Neque miseratione dignus est homo, qui recusat servire DEO, cum ab eo tot nobis remedia ad pietatem & salutem parata sint. *Mense I. Disc. 9. pag. 114.*

2.

Dum irent, mundati sunt. Luc. 17.

Non frustra hortatur Psalmista: *Descendant in infernum viventes*, Psalm. 54. nimirum descendendum nunc est per meditationem mortis in sepulchrum, per meditationem æternæ poenæ in infernum, ne descendamus mortui. Præsentissimum nempe peccatorum remedium est memoria novissimorum: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Mors certa est: meditare igitur illam, licet acerba sit ejus memoria: dum eam meditando paulum progressus fueris, mundaberis. *Mense III. Disc. 61. pag. 1. usque ad num. 5.*

3.

Qui steterunt à longè, & levaverunt vocem suam. Luc. 17.

Fecerunt leprosi, quod decuit, dum ex humilitate steterunt à longè, tanquam imundi: non omiserunt, quod eorum necessitas exigebat, sed levaverunt vocem suam, petentes sanitatem. Multi Christiani magistratus & patresfamilias contrarium faciunt: dum proximi sunt suis subditis, agunt, tan-

quàm à longè stantes non viderent suorum peccata ; atque ita non levant vocem suam , ubi ad suorum correptionem loqui deberent , sed tacent , & connivent : qua conniventia & sibi & suis gravissima damna inferunt. *Mense IV. Disc. 99. pag. 123. à num. 5. ad finem.*

4.

Fides tua te salvum fecit. Luc. 17.

Perperam hæc & similia Scripturæ ac Evangelii verba interpretantur heterodoxi , fidem solam sine operibus sufficere ad salutem credentes. Quis enim scit , an reliqui novem , tametsi eundo mundati fuerint , non iterum in lepram relapsi sint , & iste solus , qui rediit ad agendas gratias , perpetuò sanus manserit , quia opus bonum fecit redeundo ad Christum , & gratias agendo : ita ut Christi verba idem sonent , ac hæc : Fides tua , bonis operibus , labore reductus , gratiarum actione testata te salvum fecit. Inutilis est fides sine operibus. *Mense VII. Disc. 197. pag. 297. à num. 9. ad finem.*

5.

Fides tua te salvum fecit. Luc. 17.

Sola fides Catholica pretium facit operibus bonis. Nónne & Judæi , & Turcæ , & Hæretici opera quædam faciunt , jejunant , orant , eleemosynas dispensant ? Verùm omnia hæc eorum opera nihil profunt ad promerendam æternam gloriam , nisi conjuncta sint cum sancta

cta

cta & vera Fide. *Mense VII. Disc. 197. pag. 287. usque ad num. 9.*

DOMINICA XIV.
POST PENTECOSTEN.

1.

*Nonne anima plus est, quàm esca ?
Matth. 6.*

Prohibet Christus omnem sollicitudinem nimiam pro alimentis aliisque rebus corpori necessariis, & inculcat sollicitudinem pro anima habendam: sicut ergo, qui mundo serviunt, omne perdendarum rerum periculum fugiunt, ta par est nos declinare omne periculum amittendæ gratiæ & salutis; anima enim plus est, quàm esca, & propterea sollicitè nobis cavendæ sunt pravæ occasiones. *Mense I. Disc. 22. pag. 336.*

2.

*Fenum agri, quod hodie est, & cras in
clibanum mittitur, Matth. 6.*

Sæpissimè in S. Scripturis humana vita fæno aut caduco flori comparatur: *Omnis caro fenum*; vult nimirum DEUS nos ad caducitatem rerum temporalium meditandam nos hac similitudine excitare, ut omnis cogitatio nostra ad æternitatem se convertat: *Quærite primum
k s regnum*

regnum DEI. Meditemur itaque mortem, sed simul quæramus justitiam & sanctitatem: jucunda est mortis memoria piè viventibus. *Mense III. Disc. 61. pag. 11. à num. 5. ad finem.*

^{3.}
Nemo potest duobus Dominis servire.
Matth. 6.

Difficillimum, imo impossibile est, ut, si sponte elegeris Dominum malum, simul DEO servias: necesse est igitur, ut caveas, ne scelerati Domini servitio te addicas, vel si deceptus fueris, quamprimum recedas. *Mense IV. Disc. 103. pag. 194. usque ad num. 8.*

^{4.}
Nemo potest duobus Dominis servire.
Matth. 6.

Fugiendum est, quantum fieri potest, servitium sub malo Domino, cum illud te quasi constringat ad participium sceleris. Quodsi tamen quacunque necessitate alligatus sis tali servitio, disce, quid agendum tibi sit, ne alienorum scelerum particeps fias. *Mense IV. Disc. 103. pag. 204. à num. 8. ad finem.*

^{5.}
Nemo potest duobus Dominis servire.
Matth. 6.

Duo Domini ad sua nos vexilla traducere contendunt, Christus ad regnum per crucem,

eem, diabolus ad tormentum per voluptatem: ille nos invitat veris promissis futuræ gloriæ, iste nos allicit falsis deliciis præsentis vitæ; quæ quoniam arrident sensibus, facile nos illaqueant, nisi tentationibus fortiter resistamus. Resistemus autem feliciter, si exemplo Christi præparemus nos ad tentationem, & in ipso conflictu consideremus præsentia auxilia ac futura præmia. *Mense X. Disc. 236. pag. 221.*

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

I.

Adolescens, tibi dico surge. Luc. 7.

Forti imperio rem indigere Christus innuit, ubi suscitandus est mortuus: *Tibi dico, surge;* sicut & in Lazaro: *Lazare, veni foras.* Verum pari facilitate Christi potentia sanavit infirmos & excitavit mortuos. Significare voluit, quàm difficulter resurgat homo, qui peccandi consuetudine contractâ DEO mortuus vivit. Malum sane periculosissimum prava est consuetudo. *Mense I. Disc. 24. pag. 386. usque ad num. 7.*

2.

2.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7.

Acerba Matri esse debuit mors filii, quæ amisit viduitatis suæ solatium, senectutis subsidium. Verùm acerbior filio accidere mors debuit, si bene vivere neglexit: mors enim illud est tempus, quo cessamus frui bonis præsentibus, quo non amplius possumus providere nobis de bonis futuris. Hortante igitur in hodierna Epistola S. Paulo, *dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 5. Mense III. Disc. 62. pag. 21.*

3.

Noli flere. Luc. 7.

Justum est plorare mortuos; nam vel affectio, vel necessitas & jactura nostra suadet lachrymas; ne tamen in lugendo excedamus modum, quædam Fidei nostræ documenta nos frænare & consolari debent. *Mense III. Disc. 66. pag. 102.*

4.

Adolescens tibi dico: surge. Luc. 7.

Quod Christus defuncto adolescenti dixit, ut surgeret, hoc hodiedum adolescentibus quidem præcipuè ac juvenibus, sed non minus quibuscunque aliis, DEO per luxuriæ peccatum mortuis inculcat: *Adolescens seducte, in pravam familiaritatem, in sceleratam consuetudinem delapse, tibi dico: surge; dum tempus*

pus habes, rumpe vincula; dum DEUS tibi aurem & mentem vellicat, ad emendationem festina. Considera vitii, in quo defixus hæres, malitiam; luxuria enim DEO & Sanctis omnibus damnabile, Angelis execrabile, homini ipsi pudendum & erubescendum vitium est. *Mense V. Disc. 130. pag. 148.*

5.
Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7.

Et hic quidem placida morte defunctus efferebatur, maximo tamen luctu matris orbæ. Quantus dolor integræ cujusdam familiæ erit, dum ex ea quispiam non in acie, sed rixa occiditur! Et tamen insanus quorundam ad rixas & duella pruritus. Videamus, quibus mediis perniciosus iste pruritus curari ac reprimi debeat. *Mense VI. Disc. 173. pag. 354.*

DOMINICA XVI.
POST PENTECOSTEN.

1.
Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.

Difficillima & lentissima est hydropis curatio: requiritur accurata multarum rerum abstinencia: jam depulsus facilè revertitur, & difficiliùs iterum effugatur. Sic habet se pra-
va

va consuetudo : superari non potest, nisi magno labore ac difficultate. *Mense I. Disc. 24. num. 7. ad finem.*

2.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

Non difficulter Christus, tacentibus Pharisæis, quæstionem hanc resolvit ipse, ut & facto & argumentis ipsius resolutam impugnare nemo auderet; agebatur enim de Sabbato unius diei, & de sanitate corporis. Multo minus dubium est de animæ salute in Sabbato procuranda, nempe in quocunque tempore, quod temporalibus curis exemptum tribuere animæ possumus. Verùm instat nobis aliud Sabbatum, senectutis nimirum ad laborem infirmitas, vel à negotiis animæ tractandis vitiosa remissio: ad istud Sabbatum ne differamus conversionem, & ne unquam tale nobis Sabbatum indulgeamus, monet Salvator: *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme vel Sabbato. Matth. 24.* Imminet enim nobis aliud Sabbatum, nempe Æternitas, quæ si nos occupet otiosos, væ nobis. Consideremus ergo Æternitatem, ut bene nos ad illam præparemus. *Mense III. Disc. 63. pag. 34. usque ad num. 7.*

3.

Qui se exultat, humiliabitur. Luc. 14.

Sua-

Suapte naturâ homo ad honorem aspirat; neque semper damnandus est appetitus iste, modò ad veram aspiret dignitatem, neque falso honoris nomine se decipiat. Facilè fallimur, maximè in re, quæ naturæ nostræ blanditur. Agnoscamus igitur, quid sit superbia: videamus ejus proprietates, genera, & operationes. *Mense V. Disc. 146. pag. 508.*

4.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.

Nihil turpius est fure deprehensò: talis maximè aliorum ludibrio exponitur ac ridetur: & apud se summam confusionem patitur ac dolorem. Sic verò humiliari solet superbus; nam fur est, & quidem infelix fur, quem in furto suo deprehensum, dum honori non debito inhiat, ipsa expectat confusio. *Mense V. Disc. 148. pag. 546.*

DOMINICA XVII.
POST PENTECOSTEN.

1.

Tentans eum, Matth. 22.

Quod Pharisæi in CHRISTO fecerunt, variis quæstionibus eum tentantes & capere in sermone cupientes, id facit dæmon
in

in homine, eo præcipuè, quem nondum in peccatum præcipitavit; & vehementiùs in eo, quem videt à peccato jam assueto velle resurgere. Ejusmodi homini in tentatione tria consideranda sunt: DEUS me videt, DEUS me confortat: DEUS me remunerabitur.
Mense I. Disc. 23. præsertim à pag. 365.

2.

Diliges DOMINUM DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22.

Si te aspectus æternitatis terret, modum habes, quo cognoscas, utrum te beata vel infelix illa exspectet. Beatam habebis, si DEUM diligas, & in illius gratia vivas. Sperare potes te esse in charitate & inter electos si peccata fugias, pœnitentiam ames, virtutem alacriter arripias. *Mense VII. Disc. 209. pag. 499.*

3.

Tentans eum, Matth. 22.

Volebat JESUM capere in sermone hic Legis Doctor, & curiosè interrogat de præcepto legis maximo: verùm & meritò à Christo refutatus est, ut nec ipse, nec alii ab illo die auderent ampliùs interrogare. Magis peccat Christianus, qui curiosè vult indagare in mysteria fidei: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*, ait sapiens. Talis curiositas non solùm inutilis est, sed etiam periculosissima. *Mense VII. Disc. 196. pag. 270.*

4.

4.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.
Matth. 22.

Sublime est hoc præceptum de dilectione proximi, & simile illi de diligendo Deo. Multa in se includit alia, nimirum ut nos etiam ipsos diligamus, sicut alios. Disquirendum ergo est, quomodo proximum diligere teneamur sicut nos ipsos, minùs quàm nos, & plus quàm nos. *Mense VIII. Disc. 216. pag. 37.*

5.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? *Matth. 22.*

Doctorem hunc curiositas adegit, ut adiret JESUM, & de præcepto omnibus notissimo interrogaret, cupiens audire novum responsum, quod occasionem præberet disputationi suæque sapientiæ ostentandæ. Eadem curiositate ducti etiam alii visitabant JESUM; verùm hic ita omnibus respondit, ut inutilem ostenderet omnium curiositatem. *Mense X. Disc. 292. pag. 322.*

DOMINICA XVIII.
POST PENTECOSTEN.

1.

Surge, tolle lectum suum. *Matth. 9.*

R. P. Calini, S. J. Index. I Non

Non jubet Dominus, ut alii accurrant & jacentem paralyticum in pedes erigant, aut in tollendo lecto adjuvent: sed vult, ut ipse laborem conatumque adhibeat. Liberari vis à diuturno animi morbo? à consuetudine? non refuge difficultatem, sed alacriter ad eam superandam te accinge. *Mense I. Disc. 25. pag. 404. usque ad num. 11.*

2.

Vade in domum tuam, Matth. 9.

Statutum est: *Ibit homo in domum æternitatis suæ. Jussit Christus paralyticum surgere: Et surrexit, & abiit in domum suam sine mora, sine impedimento. Ibimus & nos, quamprimum Deus ad æternitatem vocaverit, & quidem celeriter; prope enim est cuique sua æternitas: qualem ergo tibi æternitatis tuæ domum feceris, talem adibis. Elige, qualem tunc velis, & nunc fabricare incipe, quæ placeat. Mense III. Disc. 63. pag. 42. à num. 7. ad finem.*

3.

Dixerunt intra se: hic blasphemat, Matth. 9.

Crimen gravissimum impingunt Christo, cujus sanctissimam doctrinam audierant, divina miracula viderant: *Nemo, inquiunt, potest peccata dimittere, nisi solus Deus.* Ita dum illum blasphemiam arguunt, ipsi gravissimè blasphemant. Ut horrendum blasphemiam peccatum magis

magis detestemur, consideremus ejusdem incredibilem malitiam. *Mense II. Disc. 44. pag. 213. usque ad num. 5.*

^{4.}
Dixerunt intra se : hic blasphemat.
Matth. 9.

Non est peccatum ferè aliud, quòd hominibus majorem injiciat horrorem, quàm blasphemia: atque ideò legibus etiam humanis graviore in peccatum illud poenæ statutæ sunt. Verumtamen utut horribile sit, maxima tamen scandala parit; ac propterea etiam gravissimè à Deo puniri solet. *Mense II. Disc. 44. pag. 222 à num. 5. ad finem.*

^{5.}
Dixerunt intra se : hic blasphemat.
Matth. 9.

Hæc est malorum indoles, ut bona vertant in malum, cùm bonorum mos sit, ut mala etiam interpretentur bene: sicut aviculæ, quæ araneis, muscis, corticibus arborum vescuntur, omnia in optimam carnem concoquunt; milvi verò, qui gallinis, avibusque vescuntur, pessimas contrà carnes habent. Ex quo cognoscamus invidiæ & sinistri judicii malitiam, dum videmus Judæos Christi verba & miracula in peccatum interpretantes. *Mense X. Disc. 297. pag. 422.*

DOMINICA XIX.
POST PENTECOSTEN.

I.

*Impletae sunt nuptiae discumbentium,
Matth. 22.*

Cogita, quanta fuerit hominum de sepi-
bus & viis collectorum hilaritas, dum post
diuturnam famem accumbunt delicatissimis e-
pulis, & post quotidianos contemptus, regis
convivio honorantur. Similis felicitas & con-
solatio manet peccatorem, qui ad expugnan-
dam consuetudinem aliquamdiu laborem for-
titer sustinuit: omnis enim difficultas in sua-
vitatem ipsi convertitur. *Mense I. Disc. 25. pag.
420. à num. 11. ad finem.*

2.

Amice, quomodo huc intrasti? Matth. 22.

Poterat se miser hic ex parte excusare, quòd
venerit invitatus: Verùm quia noverat, ve-
stis nuptialis incurium se fuisse, obmutuit, ac
propterea meritò iussus est mitti in tenebras
exteriores. Ad cælum invitamur omnes: ve-
rùm si in morte inveniamur sine veste nuptiali
divinæ gratiæ, malè nobis! Quisquis igitur in
peccato mortali versari solet, nec ad recupe-
randam gratiam contendit, in maximo peri-
culo

culo est, infeliciter moriendi. *Mense III. Disc.*
64. pag. 55.

3.

Qui invitati erant, non fuerunt digni.
Matth. 22.

DEUS benignissimus non solum necessitati nostræ, sed etiam voluptati multa indulget, quibus humanæ vitæ tædium relevetur, & homo labore fessus recreetur. Verum hac ipsa DEI liberalitate multi abutuntur, & ejus donis sese indignos faciunt, dum gulæ diebus festis nimium indulgent, edentes & bibentes tempore incongruo, & non alia intentione, nisi voluptatis explendæ. In utroque graviter peccari potest, ut donis DEI fiamus indigni. *Mense V. Disc. 123. pag. 17. ad num. 5.*

4.

Impletae sunt nuptiae discumbentium.
Matth. 22.

Inter convivas ex triviis congregatos, qui inexpectatum convivium gratulari sibi debuerunt, fuit tamen inventus, qui vilipensione quadam beneficii non sumpterat vestem nuptialem. Multas nobis læticias honestas indulget DEUS; verum eæ moderatè sunt usurpandæ sine excessu. Contra fit, quando cauponæ implentur sobriorum, sed fiunt vacuæ ebriorum. Hi vestem nuptialem in bona voluntate attulerant; sed cibo potuque ad excessum

1 3

reple-

repleti eandem in sordes projecerunt. Gravissimè gula per excessum peccat. *Mense V. Disc. 123. pag. 28. à num. 5. ad finem.*

^{5.}
Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Non solùm malè cogitando, loquendo, operando meremur pœnas, sed etiam omittendo ac officium nostrum negligendo. Contra omissiones explicatur hodierna parabola. *Mense X. Disc. 302. à num. 4. pag. 525.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

1.

Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. Joan. 4.

Sapiens & providus fuit hic Regulus, dum ita festinavit pro filii sanitate: non arbitratus spem longioris vitæ in juventutis flore ponendam, urgebat Cristum, ut veniret. Quàm improvidi sunt multi mortalium, non pro aliorum tantùm, sed propria etiam salute! sic vivunt, ut nunquam morituri, & pœnitentiam differunt in incertum tempus, quod an nobis ad pœnitentiam suffecturum sit, ignoramus. *Mense I. Disc. 26. pag. 427.*

2.

2.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Utut nobis valentes, vegeti, juvenes videamur, singulis tamen momentis incipimus mori, quia semper unâ horâ propinquiores morti sumus, etiam tunc, cum nascimur. Beati infantes, qui baptismo accepto brevem affecuti finem in gratia moriuntur! At nobis adultis profectò necessaria est quotidiana ad mortem præparatio. *Mense III. Disc. 65. pag. 75. usque ad num. 6.*

3.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Misericordia dignus erat hic reguli filius, quem non suâ culpâ ægrotâsse legimus, & pro quo pater tam erat sollicitus. Utinam juvenes multi, imò & adulti, essent ita quoad infirmitatem animæ suæ innocentes, & pro recuperanda spiritali sanitate solliciti! Miseri isti, cum in luxuriæ vitium prolabi & mori DEO incipiunt, excusare se volunt propter humanam fragilitatem, & labendi facilitatem: neutra tamen excusatio valet, sed propria eos voluntas condemnat. *Mense V. Disc. 136. pag. 291. usque ad num. 5.*

4.

Incipiebat enim mori, Joan. 4.

Non legitur iu Evangelio, quænam fuerit causa tam gravis morbi. Certè non grassaba-

l 4

tur

tur contagio, unde infici potuisset: & si lucus aliqua vagaretur, summâ curâ custoditus fuisset Reguli filius, imò ipse sibi pro sanitate servanda sollicitè vigilâset. Quid Christiani agunt? itâne omnes contagionis spiritualis occasiones devitant? non video. Multi enim incipiunt mori, & excusant se propter multas mali occasiones, quibus utique Religiosi exempti sunt, ipsi verò quotidie immiscentur. Vanam esse hanc ipsorum excusationem, patet *Mense V. Disc. 136. pag. 307. à num. 5. ad finem.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

^{1.}
Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18.

Quis non credidisset, obtentâ creditoris veniâ mitissimum fore hunc debitorem? verùm ille, dum tempore suo uti deberet ad solvenda debita, abusus est illo ad cruciandum conservum, novâque culpâ se obstrinxit. Eodem prorsus modo peccatores, etiamsi à DEO tempus sat largum poenitentiae obtineant, illo tamen sæpe abutuntur, & concessos dies sine fructu consumunt ac pereunt. *Mense I. Disc. 27. pag. 444. usque ad num. 5.*

2.

Voluit rationem ponere cum servis suis.

Matth. 18.

Rationem reddemus omnes Creatori, Redemptori, Benefactori, ac Domino nostro, instabit accusator diabolus: adversus hunc tota nos hodierna Epistola commonet, ut simus parati: *Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Ephes. 6. Quibus modis ad mortem parare nos debeamus, docetur *Mense III. Disc. 65. pag. 83. à num. 6. ad finem.*

3.

Tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

Quàm facilè se subducere tormentis potuisset servus iste, si remittere conservo suo debitum voluisset! Nunc verò nec proprii debiti solvendi facultatem habet, nec à reliquis conservis ullam commiserationem: omnes indignantur, omnes eum supplicio suo dignum judicant. Imò ipse, dum flagellis cæditur, negare non potest, pœnas esse justas: unde acerbior dolor præteritæ in conservum crudelitatis eum cruciat. Sævissima damnatorum pœna est recordatio præteritorum peccatorum: vermis eorum non morietur. *Mense III. Disc. 79. pag. 386. ad num. 7.*

15

4.

4.

Quoadusque redderet universum debitum.
Matth. 18.

Quousque tandem patietur famem, tenebras, tormenta crudelis servus? quando finis veniet calamitatis? cum nempe reddet universum debitum. Et quomodo reddet constitutus in carcere? En duplex damnatorum supplicium, ignis præsens, quo cruciantur; futura æternitas, quæ nunquam finietur. *Mense III. Disc. 79. pag. 398. à num. 7. ad finem.*

5.

Tenens suffocabat eum, Matth. 18.

Parabola hæc integro sermone explicatur contra homines præpotentiâ suâ ad inferiorum oppressionem abutentes *Mense X. Disc. 300. pag. 483.*

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN,

1.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei: Cesaris, Matth. 22.

Non spuriam, sed probam monetam principes in tributum exigunt: sola forma & imago non sufficit. Ita DEUS ab hominibus ad reddendam rationem & solvenda debita vocatis

catis non simulatam & mancam, sed sinceram
exigit pœnitentiam: talem verò perrarò per-
agunt, qui pœnitentiam ad extrema differunt,
ubi difficilis perfecta contritio, vel exacta
confessio. *Mense I. Disc. 27. à num. 5. ad finem.*

2.

*Scimus, quia verax es, & viam DEI in
veritate doces. Matth. 22.*

Malo quidem animo Pharisæi hoc elogium
dabant Christo, licèt verissimè dare poterant
illi, cujus miracula & doctrinæ sanctitatem
videbant. Verùm quia Christum commodis
suis obesse putabant, mirum non est, eos æ-
quo animo Christo dare laudem non potuisse.
Hoc mirum est, Christianos quosdam vel pro-
pter adversitatem ex pusillanimitate, vel pro-
pter pravam consuetudinem ex pertinacia cre-
dere nolle, quod Christus toties de immorta-
litate animæ inculcavit, & quidem in Scriptu-
ris ipse nos docuit, & multis apparitionibus
demonstravit, & ratione nobis cognoscendam
præbuit animæ immortalitatem. *Mense III.
Disc. 68. pag. 150.*

3.

At illi obtulerunt ei denarium. Matth. 22.

Petiit JESUS numisma censûs, non argen-
ti cupiditate, sed veritatis docendæ causâ.
Pharisæi obtulerunt ei denarium, quem acce-
pto Christi responso denuò receperunt. Ve-
rùm

rùm offer avaro homini vel obolum: quàm avidus erit ad retinendum eum! si non labiis, certè animo eum osculabitur, non attento honore, vel salute sua. Hæc est miserrima *servitus idolorum*, ut ait Apostolus. Certè avarus in ipsa vita miser est, cùm laborem habeat sine quiete, timorem sine solatio, molestias sine fine. *Mense V. Disc. 141.*

4.

Ostendite mihi numisma census. Matth. 22.

Quod hodie Christus à Pharisæis petiit, idem in judicio petet ab avaris: hi ægrè Cæsari dederunt, quæ erant Cæsaris; difficilius dabunt DEO. Nemo miserior in morte & judicio illo videri potest, quàm avarus: affligent illum bona, quæ deserit; peccata, quæ secum hinc aufert; obligationes aliæ, quibus oneratus invenietur: futurus utique in morte lætior, si DEO posset ostendere numisma census, eique dare, quæ DEI sunt. *Mense V. Disc. 142. pag. 428.*

5.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Matth. 22.

Sicut subditi jubente Christo tenentur principibus tributa & censum solvere, ita principes justè ea exigunt. Verùm tamen sive princeps sive privatus sis, modus est adhibendus in exigendis debitis, & personarum facultas consideranda. *Mense IX. Disc. 271. pag. 439.*

DOMI-

DOMINICA XXIII.
POST PENTECOSTEN.

1.

Confide filia : fides tua te salvam fecit.
Matth. 9.

Tam Principis hodierni, quàm mulieris hæ-
morrhoiſſæ fides permovit Dominum, ut ut-
rique petita celeriter præſtaret. Quis dubita-
re audeat, quàm idem fideliter ſibi ſervientibus
& obedientibus largam ſit præſtiturus merce-
dem? *Menſe IX. Diſc. 265. pag. 339. uſque ad*
num. 6.

2.

*Impone manum tuam ſuper eam, & vi-
vet. Matth. 9.*

Principis hujus fides multos corrupti hu-
jus ſæculi Chriſtianos confundit: credit ille,
manibus Chriſti tantam eſſe potentiam; &
credit animam revocari in corpus poſſe: cre-
didit ergo & verbis Chriſti, quod non faciunt
Chriſtiani, animæ immortalitatem negantes:
& credidit, animam poſſe revocari, quod fie-
ri non poſſet, ſi illa cum corpore periret.
Vide miſerum illorum ſtatum! hæc enim in-
credulitas ex magnis peccatis naſcitur, &
præcipitat in magna peccata. *Menſe III. Diſc.*
69. pag. 170. uſque ad num. 8.

3.

3.

Filia mea modò defuncta est. Matth. 9.

Plangebat justissimo dolore princeps iste filiam suam, quam si illustribus tradere posset nuptiis, potentes sibi amicos & senectutis solatium potuisset. Verùm plangit æquiore dolore Christus animas suo sanguine sanctificatas, quas in opprobrium sanguinis sui perire videt, quia crucis onus refugientes turpi se voluptati tradunt, ac cœlestis sponsi thalamum recusant. Horrendum est luxuriæ peccatum, si vel sola consideremus Christi supplicia, quibus nos miseros redemit. *Mense V. Disc. 131. pag. 166. ad num. 5.*

4.

Filia mea modò defuncta est. Matth. 9.

Facilè tolerari mors corporis potest, modò anima in salvo sit: at animæ mors ipso inferno deterior est; nam David adulterii sui veniam adeptus de seipso dixit: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psal. 85.* Maximè verò in inferno punientur luxuriosi: *Quantùm glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Apoc. 18. v. 7.* Disce detestari luxuriam vel propter solas pœnas, quibus ipsam DEUS castigat. *Mense V. Disc. 131. pag. 181. à num. 5. ad finem.*

5.

5.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9.

Placuit Christo non solùm imperio suo ac Divina sola potestate, non solùm impositione manûs curare infirmos, sed etiam sputo illuminare cæcos, imò solo tactu vestimenti sui sanare sanguinifluam mulierem. Ex his miraculosis sanationibus discimus virtutem sacrarum Reliquiarum Christi, & Sanctorum. *Mense X. Disc. 296. pag. 405.*

DOMINICA XXIV.
POST PENTECOSTEN.

1.

*Tunc plangent omnes tribus terra.
Matth. 24.*

Planctus iste omnibus quidem hominibus indicitur: at non omnibus erit perpetuus. Etiam justi terrebutur & contremiscent: *Virtutes cælorum commovebuntur.* Verùm Christus mittet *Angelos suos*, qui congregabunt electos ejus. Tota ergo pœnarum moles incumbet in eos, qui Domino obedientes non fuerunt. *Mense IX. Disc. 265. pag. 348. à num. 6. ad finem.*

2.

2.

*Tunc plangenti omnes tribus terra,
Matth. 24.*

Quantâ eloquentiâ nobis Christus in hodierno Evangelio prænunciat extremum diem ! Vult jam nunc nos plangere propter acerbicatem illius temporis, & meritò, quia universale judicium imminet. Verùm quis maximè planget ? illi, qui animam esse immortalem credere priùs noluerunt, cujus tamen rei veritatem tunc videbunt. Absit à nobis hæc incredulitas, quæ hominem in peccatis obstinatum efficit, & gravissimo judicio obnoxium reddit. *Mense III. Disc. 69. pag. 182. à num. 8. ad finem.*

3.

*Propter electos breviabuntur dies illi,
Matth. 24.*

Non alia de causa dulcissimus Redemptor futura in novissimis mala prædixit, quàm ut eos ad perseverantiam animaret : excitare & firmare etiam spem voluit, dum propter electos ac in fide sua constantes abbreviationem dierum illorum promisit. Quid igitur spei nobis deesse potest ad salutem, misericordissimi Redemptoris voce confirmatis ? Planè desperatio gravissimum peccatum est, cum inducat in peccata gravissima, & tot salutis remedia sibi præparata repellat. *Mense VII. Disc. 202. pag. 388.*

4.

4.

Cum videritis abominationem desolationis.

Matth. 24.

Repetite memoriâ calamitates extremi temporis, quas hodie Christus prædixit: nemo est, qui non cohorrescat. *Et hæc initia sunt dolorum.* Væ nobis, si tunc DEO perfidi inter reprobos numeremur! Horribilior omnibus his terroribus infernus est, atque ideo jam nunc nobis evitandus, quia eo ipso major erit cruciatus, quo justiore agnoscemus pœnam. Justissima verò est tum propter offensi Numinis dignitatem, tum ob offensæ malitiam, tum propter offendentis vilitatem. *Mense III. Disc. 80. pag. 412.*



R. P. Calini, S. J. Index. m

IN-